image
not
available

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE II
68
13 G
36

Carte 20

[illegible] 24 [illegible]

[illegible]

[illegible]

A [illegible] 25

20 Februarij 1549

Canonicorum RR. Privilegia

a

Paulo IIIº concessa

[illegible] Blondus

Filius iniquitatis

PRIVILEGIA, GRATIAE, FAVORES, IMMVNITATES, EXEMPTIONES, ET INDVLTA CANONICORVM REGVLARIVM .S. SALVATORIS,

Ordinis .S. Auguſtini cum à plurimis Pontificibus, tum uero à Iulio ſecundo ante conceſſa, nunc etiam recens à Paulo eius nominis ter tio confirmata, & innouata.

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA

Confirmatio unionum, ac priuilegiorum, et Conſtitutionum, Congregationis Canonicorum Regularium ſancti Saluatoris, Ordinis ſancti Auguſtini. Pri. 1. pag. 2.

Interpretatio circa dubia priuilegiorum ſit in eorum fauorem. Priuilegio ſecundo. pag. 3.

Extenſio priuilegiorum unius Monaſterij ad alia omnia, & ad uniuerſam Congregationem. Pri. 3. pag. 3.

Omnes profeſſi ſunt unum corpus, & una Congregatio, ac uiuunt ſub iiſdem priuilegijs, & Conſtitutionibus. Pri. 4. pag. 4.

Declarantur ueri, & indubitati Canonici inſigniti ex ſpeciali dono Sedis apoſtolicæ ſcapulari ſuper Rocheto. Pri. 5. pag. 4.

Gaudent priuilegijs uniuerſorum Canonicorum, ac Mendicantium ordinum, & Monachorum .S. Iuſtinæ. Pri. 6. pag. 4.

Gaudent etiam omnium aliarum Congregationum, atq; Ordinum iuribus, præeminentijs, ac dignitatibus, quæ ipſorum Conſtitutionibus non obſtant. Pri. 7. pag. 5.

De authoritate Capituli generalis circa Conſtitutiones. Priuilegio octauo. pag. 6.

De obſeruantia, et obedientia Conſtitutionum. Pri. 9. pag. 6.

Reformatio monaſteriorum ſit iuxta Cōſtitutiones. Pri. 10. pag. 6.

De Capitulo generali, & de electionibus Prælatorum in eo. Priuilegio undecimo. pag. 7.

De ſubiectione, et obediētia ad Capitul. generale. Pri. 12. pag. 7.

De obedientia Prælatorum ad Priorem generalem, & Canonicorum, et aliorum ad ſuos Prælatos. Pri. 13. pag. 7.

Nullus appellat à Capitulo, ſeu Priori generali, & ab alijs Prælatis. Pri. 14. pag. 7.

In puniendo non iura, ſed Conſtitutiones ſeruātur. Pri. 15. pag. 7.

N ullus etiam Cardinalis poteſt educere aliquem extra Congregatio-nem, uel fugitiuum retinere. Pri. 16. pag. 8.
N on coguntur ad recipiendum fugitiuos. Pri. 17. pag. 8.
P roſeſſi non relinquunt, aut mutant habitum, abſq; literis dimiſſo-rijs Congregationis. Pri. 18. pag. 8.
A poſtatæ nullibi audiuntur, neq; apud Auditores ſacri Palatij. Priuilegio decimonono. pag. 9
C apiuntur ubiq; Apoſtatæ, etiam mutato habitu. Pri. 20. pag. 9.
N on impediuntur, nec prohibentur ad Congregationem ex ſeculo uenire affectantes, nec moleſtantur Canonici eosdem acceptan-tes. Pri. 21. pag. 9.
I ngredientes Congregationem diſpenſantur ſuper uoto alterius Or-dinis, etiam arctioris, ac ab alijs uotis (Religionis excepto) ac à ſententia cuiuſcunq; excommunicationis, cum reincidentia tamen, ſi à Congregatione diſceſſerint. Pri. 22. pag. 10.
B ona incerta possessa per ingredientes Congregationem, conuer-tuntur in pios uſus. Pri. 23. pag. 10.
D iſpenſatur cum nimium occupatis in monaſteriorum officijs, & cum ſimpliciter profeſſis, ne teneantur ad totum diuinum offi-cium. Pri. 24. pag. 10.
O rdinantur Canonici gratis, et abſq; examinatione à quocunq; Epi-ſcopo: et quilibet Epiſcopus ad eorum inſtantiam poteſt in eorum Eccleſijs omnes pontificales dignitates exercere, abſq; Dioceſano-rum contradictione. Pri. 25. pag. 11.
D iſpenſantur per Definitores Capituli ſuper defectu natalium, & per Priorem generalem, et Viſitatores ſuper alijs irregularitati-bus, homicidij uoluntarij, bigamiæ, et mutilationis membrorum exceptis. Pri. 26. pag. 11.
D iſpenſantur ipſi per Priorem generalem, et alios Prælatos, et per

eosdem facultas eis, et authoritas cum alijs diſpenſandi conceditur, ſuper caſibus Ordinariorum. Pri. 27. pag. 12.

P rior generalis ſacrat, & benedicit corporalia, & ueſtes ſacras, ac alia ſacris uſibus neceſſaria. Pri. 28. pag. 12.

C elebrant urgente cauſa ante diem, & uſq; ad Nonam, ac utuntur in itinere altari portatili etiam in loco interdicto. Pri. 29. pa. 12.

C elebrant uoce ſubmiſſa, ac interſunt diuinis ſub interdicti tempore cum Capellanis, et laicis ſuis ſecrete, ac omnia ſacramenta ſuſcipiſunt, & ſuos huiuſmodi decedentes in Ecclesijs ſuis ſepeliunt. Priuilegio trigeſimo. pag. 12.

N on incurrunt maculam ex participatione etiam in diuinis cum excommunicatis à iure, uel ſtatutis Ordinariorum, & non ſpecialiter denuntiatis. Pri. 31. pag. 13.

A bſoluuntur ipſi ab omnibus caſibus, et ſuper omnibus diſpenſantur, uidelicet excommunicationis, interdicti, ſuſpenſionis, & ab omnibus ſententijs à iure, uel ab homine generaliter latis, etiam celebrantes, uel ſuſcipientes ordinem in loco interdicto, etiam in caſu Simoniæ, exceptis ſolum hæreticorum, relapſorum ſchiſmaticorum, deferentium prohibita ad infideles, & literas apoſtolicas falſificantium caſibus. Pri. 32. pag. 13.

A bſoluunt alios ab omnibus caſibus, à ſententia excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, & ab alijs pœnis, et cenſuris à iure, uel ab homine latis, etiam Ordinarijs reſeruatis, uotaq; commutant, exceptis caſibus tantum, & uotis Sedi apoſtolicæ reſeruatis, Sacramẽtumq; Euchariſtiæ omnibus miniſtrãt Pri. 33. pag. 14.

M andatur Ordinarijs, & Rectoribus parochialium, ne prohibeant, uel diſuadeant parochianos ſuos confiteri ipſis Canonicis, uel ab eis eccleſiaſtica ſacramenta ſuſcipere. Pri. 34. pag. 14.

E ligunt ſibi confeſſorem ſuæ Congregationis, & in caſu neceſſitatis

quencunq; maluerint, à quo ſemel in uita, & in mortis articulo ab omnibus caſibus etiam Sedi apoſtolicæ reſeruatis abſoluuntur, ac plenariam conſequuntur peccatorum remiſſionem. Pri. trigeſimo quinto. pag. 14.

I niungitur eis pro præfatæ indulgentiæ, et abſolutionis gratia pœni-nitentia recitandi Septempſalmos pœnitentiales quinquagies in uno anno. Pri. 36. pag. 15.

C onſequuntur ubiq; ſtationes Eccleſiarum Vrbis. Pri. 37. pag. 15.

N on acceptant literas apoſtolicas pro executione alicuius iuſtitiæ, ſeu uiſitatione, correctione, colligendis pecunijs, denuntiatione inter dicti, & excommunicationis, aut receptione curæ Monialium, ſeu Religioſorum quoruncunq;. Non ſubeunt iuramentum de ca-lumnia, uel ueritate dicenda. Non arctantur teſtimonium perhi bere. Non trahuntur extra ſuam ciuitatem, & dioceſim ad Conci-lia; ſeu aliquas Congregationes. Non coguntur ad publicas pro ceſſiones, & funeralia. Pri. 38. pag. 16.

N on poſſunt Epiſcopi, aut eorum Ordinarij, inuitis ipſis Canoni-cis, in eorum Eccleſijs celebrare, ſeu celebrari facere Miſſas, & alia diuina officia, neq; etiam mortuorum: ordines conferre: uel agi tare cauſas ciuiles, uel criminales: proceſſiones, aut ſynodus, ſeu quasuis Congregationes conuocare: immo nec ad huiuſmodi Ec-cleſias accedere, ſeu in ipſis immorari. Pri. 39. pag. 16.

I nhibetur deputari loca Congregationis pro uſu hoſpitum, aut pro carcere quaruncunq; perſonarum. Pri. 40. pag. 17.

A cceptantur eorum teſtimonia, etiam in proprijs cauſis. Priuilegio quadrageſimo primo. pag. 17.

E xercent curam ſuarum parochialium per ſe, & per alios, et eo-rum Capellani eadem, qua ipſi Canonici, fruuntur libertate, & exemptione. Pri. 42. pag. 17

S epultura in eorum Eccleſijs eſt ubiq; libera. Pri. 43. pag. 17.
E xemptio realis, et perſonalis ab omni iurisdictione quoruncunq; Legatorum, Prælatorum, et iudicum, ac inquiſitorum hæreticæ prauitatis. Pri. 44. pag. 18.
S uſcipiũtur immediate ſub protectione Sedis apoſt. Pri. 45. pag. 19.
E xcommunicantur generaliter omnes contrauenientes præfatæ exemptioni. Pri. 46. pag. 19.
E xemptio ab omnibus gabellis, datijs, et alijs huiuſmodi quibuſcunq; ſub maledictionis æternæ pœnis. Pri. 47. pag. 20.
E xemptio à quacunq; perſolutione, etiam conſueta, et debita pro aliqua canonica portione, ſeu decima, ac de relictis, et donatis, et à fabrica ſancti Petronij Bononienſis. Pri. 48. pag. 20.
Mandatur ſpecialiter Ordinarijs, et Rectoribus parochialium ſub pœnis, et cenſuris, ne præmiſſis contraueniant, néue extorquere aliquid præſumant in relictis Pri. 49. pag. 21.
E xemptio ab impoſitione, exactione, decimis, charitatiuo ſubſidio, et omni onere reali, perſonali, et mixto, et à quibuſcunq; cenſibus, et ſolutionibus debitis ratione ſubiectionis, aut uiſitationis. Priuilegio quinquageſimo. pag. 21.
E xemptio ab omni præſtatione procurationum Legatorum, ſeu Nũtiorum Sedis apoſt., et à decimis papalibus. Pri. 51. pag. 22.
E xemptio immobilium bonorum ſuper primitijs, decimis, quarteſijs, et alijs iuribus. Pri. 52. pag. 22.
C onſeruatio bonorum mobilium, et immobilium, præſentium et futurorum ſub excommunicationis ſententia contra ea occupantes, ſeu moleſtantes. Pri. 53. pag. 23.
A cquirunt, et exigunt ubiq; bona ad eos delata, et quorum etiam ius haberent, ſi in ſeculo remanſiſſent. Pri. 54. pag. 24.
P ræſcriptio non currit contra eos, niſi poſt lapſum annorum ſexa-

ginta. Pri. 55. pag. 24.
P ermutant, alienant, et locant quæcunq; bona ſua immobilia, pro locorum euidenti utilitate. Pri. 56. pag. 24.
S uſcipiunt quæcunq; loca, etiam Eccleſias parochiales abſq; alia conceſſione Sedis apoſtolicæ. Pri. 57. pag. 24.
P aciſcuntur quomodocunq; cum ſibi cedentibus beneficia, abſq; labe Simoniæ. Pri. 58. pag. 25.
V acantibus Monaſterijs prouidetur ſolum per Superiores Congregationis, et illorum Prælati inſignia, et omnia exercent, ac ſi benedictionis munus ſuſcepiſſent. Pri. 59. pag. 25.
V nus Prælatus poteſt præeſſe duobus Monaſterijs. Pri. 60. pag. 26.
V num Monaſterium non ſubijcitur alteri. Pri. 61. pag. 26.
N on poteſt aliquid impetrari ſuper eorum Monaſterijs, et bonis, etiam ratione, uel prætextu alicuius ſimoniæ Pri. 62. pag. 26.
B eneficia ſpectantia ad collationem eorum Monaſteriorum non poſſunt impetrari, etiam à Sede apoſtolica. Pri. 63. pag. 27.
N on cõprehẽduntur uniones eorũ Monaſteriorum in reuocationibus caſſationibus, aut annullationibus gñalibus apoſt. Pri. 64. pag. 28.
N on comprehenduntur Priuilegia in reuocationibus, et derogationibus quibuſcunq; generalibus apoſtolicis. Pri. 65. pag. 29.
N on præiudicatur priuilegijs ex actibus quibuſcunq; contrarijs. Priuilegio ſexageſimo ſexto. pag. 30.
E liguntur quicunq; in dignitate eccleſiaſtica conſtituti, et habiles de iure in eorum Conſeruatores. Pri. 67. pag. 30.
E liguntur etiam quicunq; pro Cõſeruatoribus, quibus cauſæ poſſunt authoritate apoſtolica delegari, non obſtante quod in literis conſeruatorijs non ſint ſpecialiter nominati, uel quod aliâs conſeruatores eſſe non poſſint. Pri 68. pag. 31.
N ullæ Conſtitutiones apoſtolicæ neq; generales, neq; ſpeciales, nec

quæuis aliæ, quæcunq; illæ ſint, comprehenduntur contra contenta in priuilegijs. Pri. 69. pag. 32.

T ranſumptis literarum originalium priuilegiorum adhibetur fides ſubſcriptis manu publici notarij, et ſigillo alicuius Curiæ eccleſiaſticæ munitis. Pri. 70. pag. 33.

C onfirmatio, et innouatio Pauli .PP.III. Priuilegiorum, gratiarum, fauorum, immunitatum, exēptionum, et indultorum eis per Gregorium. XII. Martinum. V. Eugenium. IIII. Callyſtum. III. Pium. II. Paulum etiam. II. Xyſtum etiam. IIII. Innocentium. VIII. Alexandrum. VI. Iulium ſimiliter. II. et per diuerſos alios Roman. Pontifices conceſſorum. Pri. 71. pag. 36.

C onfirmatio Conſtitutionum, etiam quæ poſt Iulij .PP. præfati confirmationem per tria eorum Capitula generalia ordinatæ, & inſtitutæ fuerunt. Pri. 72. pag. 37.

I n eorum cauſis Ordinarij, Iudices, et Cōmiſſarij quauis authoritate fungentes, etiam S.R.E. Cardinales, et cauſarum Palatij apoſtolici Auditores priuilegia, & Conſtitutiones ipſorum Canonicorum non iura ſequuntur. Pri. 73. pag. 37.

R eprobatio, atq; reiectio reformationum, et omnium, quæ contra eorum Cōſtitutiones, et regularia inſtituta edita eſſent per quaſcunq; perſonas quauis dignitate, ac honore præfulgētes. Pr. 74. pag. 37.

D erogatio quarunuis apoſtolicarum generalium, et ſpecialium Conſtitutionum contra præmiſſa. Pri. 75. pag. 37.

T ranſumptis literarum originalium confirmationis, et innouationis præmiſſæ, etiam impreſſis fides adhibetur, manu publici notarij ſubſcriptis, et ſigillo alicuius curiæ eccleſiaſticæ munitis P. 76. pa. 38.

Finis.

GVIDO Aſcanius Sfortia ſancti Euſtachij Diaconus Cardinalis de ſancta Flora ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerarius uniuerſis, & ſingulis præſentes literas inſpecturis, uiſuris, lecturis, & audituris ſalutem in Domino ſempiternam. Vobis notum facimus, & tenore præſentium atteſtamur, quòd nuper literas apoſtolicas originales more Romanæ Curiæ bullatas priuilegiorum, & indultorum aliâs Congregationi Canonicorum Regularium ſancti Saluatoris Ordinis ſancti Auguſtini per fe. re. Iulium papam ſecundum conceſſorum: necnon alias literas apoſtolicas in forma breuis ſub anulo Piſcatoris à ſanctiſſimo domino noſtro D. Paulo diuina prouidentia papa tertio confirmationis, & innouationis dictorum priuilegiorum, & indultorum emanatas; ſanas ſiquidem, & integras, non uitiatas, nec in ulla earum parte ſuſpectas nobis pro parte religioſi uiri fratris Iacobi Ferrarienſis eiuſdem Congregationis Canonicorum Regularium .S. Saluatoris, Ordinis ſancti Auguſtini Procuratoris generalis exhibitas uidimus, ac diligenter inſpeximus, quarum tenor ſequitur, & eſt talis.

IVLIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

Inter cæteros in militanti Eccleſia ueluti regina in ueſtitu deaurato circundata uarietate plantatos ordines, ad dilectos filios Congregationem ſancti Saluatoris, ordinis ſancti Auguſtini, Canonicorum regularium, qui ſub ſuaui iugo religionis, & regularium inſtitutionum obſeruatione ſedulum ipſi Saluatori noſtro domino Ieſu Chriſto in humilitatis ſpiritu præbent famulatum, dirigentes noſtræ conſiderationis intuitum, & attendentes, ꝙ nos, dum cardinalatus honore fungebamur, Eccleſiam ſancti Petri ad uincula de Vrbe cum illi annexa Eccleſia ſanctæ Agnetis extra muros dictæ Vrbis de licen-

tia Sedis apoſtolicæ eidem Congregationi (cuius protectionem aliquan diu geſſimus, et illius profectum ſalubrem quantum potuimus procura-uimus) conceſſimus, et multa pro eiusdem Eccleſiæ ſancti Petri, et edi ficiorum eius reparatione, et reædificatione, ac pro commoditate Prio ris, & Canonicorum inibi pro tempore diuinis beneplacitis inſiſten-tium, etiam poſtquam ad ſummi apoſtolatus apicem fuimus diuina fa-uente clementia aſſumpti expoſuimus, dignum exiſtimamus illa con-gregationi, et Canonicis præfatis, ipſiusq; Congregationis mona-ſterijs, locis, et perſonis concedere, per quæ poſſint ipſo Saluatore eis ſemper aſſiſtente gratum in eius beneplacitis exhibere famulatum. Sane cum ſicut accepimus aliâs plura immunitates, et diuerſa priui-legia, gratiæ, fauores, et indulta ſpiritualia, et temporalia per di-uerſos roman. Pontifices prædeceſſores noſtros præfatæ Congrega-tioni, illiusq; monaſteriis, locis, perſonis, bonis, et rebus conceſſa fue rint, Nos cupientes, ut dilectus filius modernus, et pro tempore exi ſtens Prior generalis dictæ Congregationis, et Canonici præfati, et eorum curæ commiſſi eo potius poſſint Domino in eius beneplacitis fa-mulari, quo cognouerint huiuſmodi priuilegia, et immunitates pro il-lorum ſubſiſtentia firmiori etiam noſtræ approbationis robore commu niri, ac etiam Prioris generalis, et Canonicorum, ac Congregatio-nis huiuſmodi commoditatibus, & augmento, ſtatuiq; proſpero et fe lici quantum cum deo poſſumus adiuuante ſalubriter conſulere, ip-ſosq; generalem Priorem, & Canonicos, ac Congregationis huius-modi ſingulares perſonas à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſio-nis, & interdicti, alijsq; eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœ-nis à iure, uel ab homine quauis occaſione, uel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes. Ac omnia, & ſingula monaſteria tam dictæ Congregationi, quam

beneficia monaſterijs dictæ Congregationis unita, annexa, incor-
porata, & poſſeſſa, ac quæcunq; alia, & ſingula priuilegia, gra-
tias, fauores, immunitates, exemptiones, & indulta tam ſpiritua
lia, quam temporalia eidem Congregationi, ac illius monaſterijs,
locis, et perſonis ſub quibuſcunq; tenoribus, et per quoſcunq; roman.
Pontifices, Imperatores, Reges, Principes, et quoſcunq; alios Chri
ſti fideles conceſſa, illorumq; omnium tenores, ac ſi de uerbo ad uer-
bum præſentibus inſererentur, eisdem præſentibus pro expreſſis
habentes Motu proprio, non ad Prioris generalis, et Canonico-
rum prædictorum, uel alicuius alterius pro eis nobis ſuper hoc ob-
latæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, et delibe-
ratione, certáq; ſcientia, ac de apoſtolicæ poteſtatis plenitudine lite-
ras omnes, ordinationes, conſtitutiones, et conſuetudines, quibus
ipſa Congregatio regitur, et gubernatur, ac omnia, & ſingula alia
priuilegia, gratias, fauores, immunitates, exemptiones, et indul-
ta huiuſmodi authoritate apoſtolica tenore præſentium approbamus,
& innouamus, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere, atq; omnia,
et ſingula inuiolabiliter obſeruari decernimus. Volumuſq;, ut
quicquid dubij in dictis priuilegijs, ſeu aliquo eorum pro tempore emer
ſerit, id data uerborum ambiguitate, et uaria peritorum interpreta-
tione, in fauorem dictæ congregationis, & locorum particularium
eiusdem interpretari debere, & ubi ipſi in aliquibus redderentur du-
bij, ſeu ancipites, ſecundum bonam æquitatem ad fauorem ſalutis ani
marum ſuarum illa etiam largiſſime intelligantur, et interpretentur,
non autem ſecundum iuris rigorem, aut doctorum opiniones uel ſubti-
litates. Et cuiuſuis particularis monaſterij, ſeu loci tam uniti,
quam uniendi præſentis, et futuri dictæ Congregationis priuilegia,
conceſſiones, remiſſiones peccatorum, & indulgentiæ quocunque no
mine nuncupatæ, immunitates, & gratiæ conceſſa, & concedenda

tam per roman. Pontifices, *quàm alios quoſcunq;* Reges, Duces, Ba-rones, Principes, Dominia, & Communitates *in omnibus, et per omnia, ipſi toti* Congregationi, & *alijs eius particularibus monaſte rijs eſſe communia, et ad illa extendi, et extendimus per præſentes.* Inſuper *etiam ultra prædicta priuilegia eidem* Congregationi, *ut præfertur, conceſſa hac perpetua, et irrefragabili conſtitutione* Mo tu, & *ſcientia ſimilibus ſancimus, ꝙ omnes, & ſinguli dictæ* Con-gregationis Canonici *ordinem ipſum profeſſi præſentes, & futuri quanuis in diuerſis* Monaſterijs, *ſiue locis pro tempore maneant, unum tamen corpus, et una* Congregatio *exiſtant, ac ſub una eademq; le-ge, atq; obſeruantiæ regularis unitate, morumq; conformitate eiſ-dem conſtitutionibus, priuilegijs, ordinationibus, conſuetudinibus, & ſtatutis uiuant, ipſaq;* Congregatio *ab apoſtolica ſede ultra cen-tum annos inſtituta, & merito totiens approbata ab uniuerſis* Chri-ſti *fidelibus in reuerentia, & deuotione habeatur.* Decernen-tes, *ut in omnibus, & ſingulis præeminentijs, etiam in publicis acti-bus, ac priuilegijs, & gratijs pro ueris* Canonicis *regularibus* Ordi-nis, & Congregationis *prædictorum habeantur, & reputentur, pro ut hactenus fuerunt, authoritate apoſtolica, & ex certa ſcientia te-nore præſentium habemus, & declaramus: mandamusq; quorun-cunq; locorum dioceſanis, ut eos pro talibus in dictis ſingulis publicis, et alijs actibus cenſeri faciant, ac etiam reputari.* Nos *enim eos ut exiſtentes ueros, et indubitatos* Canonicos *regulares* Ordinis *præliba ti, quibus à dicta ſede apoſtolica ſcapulare, quod inſigne clauſtralium eſt, geſtandum ſuper* Rocheto *in præfatæ* Congregationis *primordijs ex ſpetiali munere, & deuotionè donatum extitit, omnibus & ſingu lis præeminentijs, etiam in publicis actibus, ac priuilegijs, & gratijs, quibus quicunq; alij* Canonici *potiuntur, & gaudent, potiri et gau-dere cenſemus.* Adijcientes *præterea, ꝙ de cætero non ſolum*

prædictis præeminentijs, priuilegijs, et gratijs decorentur, quibus gaudent in ſpecie, uel in genere uniuerſi alij Canonici, uerum etiam omnibus, et ſingulis priuilegijs, immunitatibus, fauoribus, indultis, et gratijs ſpiritualibus, et temporalibus per nos, uel per quoſcunq; prædeceſſores noſtros roman. Pontifices, uel aliâs quomodolibet, ſeu ſedem præfatam tam præfato ordini Canonicorum Regularium ſancti Auguſtini, ac Congregationi de Friſonaria aliâs Lateranenſi, Ordinibusq; Heremitarum, Minorum, Prædicatorum, Carmelitarum, et Seruorum beatæ Mariæ, et alijs etiam earundem Congregationum, et Ordinum membris, et illorum perſonis, Monaſterijs, et locis in genere conceſſis, et pro tempore concedendis, quam etiam Congregationi Monachorum ſanctæ Iuſtinæ, ſeu ſancti Benedicti Caſſinen. et eius Monaſterijs, locis, membris, et perſonis hactenus conceſſis, ac illorum Ordinibus, et Congregationibus, quibus per eandem ſedem conceſſum eſt dictæ Congregationis priuilegijs poſſe gaudere, in omnibus, et per omnia abſq; ulla prorſus differentia perinde ac ſi ea ipſi Congregationi Canonicorum Regularium ſancti Saluatoris ſpecialiter, et nominatim conceſſa fuiſſent, quorum tenores hic pro ſufficienter expreſſis haberi uolumus, et non ſecus ac ſi præſentibus de uerbo ad uerbum inſerta forent, et quæ ad ipſam Congregationem ſancti Saluatoris, et eius Moniales ſiue ſorores, ac perſonas oblatas, et commiſſas utriuſq; ſexus, quæ ſub illius Congregationis cura ſunt, in illis uidelicet, quæ ipſis coaptari poſſunt, extendi, ac illa eam pari modo cum prædictis comprehendere uolumus, atq; decernimus, cum ipſam Congregationem ſancti Saluatoris cenſeamus meritis, et uirtutibus ſuis non minora promereri, quam ſupraſcriptos Congregationes, et Ordines quos enim par labor coniungit, paria quoque priuilegia coniungere debent. Cuius etiam Congregationis ſancti Saluatoris Monaſteria omnia, et loca prædicta, et eorum prælati, atq; perſonæ quibuſcunq; eis, ac alijs Congregationibus, et Ordinibus à ſede prædicta, uel aliâs qualiter

cunq; conceſſis, ac de iure ſeu conſuetudine debitis iuribus, præeminen-tijs, ac dignitatibus inconcuſſe gaudeant, et utantur, dummodo illa præ-miſſis, et alijs dictæ Congregationis ſancti Saluatoris inſtitutis, et conſti-tutionibus non obſiſtant. Et dictæ Congregationis Capitulum ge-nerale, ſiue in eo uocem pro tempore habentes pro felici ſucceſſu ipſius Congregationis ſancti Saluatoris ſtatuta, conſtitutiones, et ordinationes, ac omnia, et ſingula, quæ in ſpiritualibus, et temporalibus ipſius Congre-gationis, et eius regularis diſciplinæ ſtatum, obſeruantiam, indemnita-tem, et circa diuini officij celebrationem, dirrectionem, et ordinationem, (abſq; tamen ipſius regulæ in ſubſtantia, uel in effectu uariatione) in-terpretationem, uel declarationem quoquomodo concernere potuerint, authoritate prædicta inſtituendi, ordinandi, interpretandi, et declaran-di, ac ea, quæ ſic inſtituta, ordinata, interpretata, uel declarata fuerint, in toto, uel in parte, prout rerum uel temporum qualitas exegerit, tollendi, alterandi, modificandi, innouandi, corrigendi, emendandi, ſuſpendendi, et in melius commutandi plenam, et liberam in omnibus habeant faculta-tem, ita tamen ꝙ nullæ ordinationes in uno Capitulo generali decretæ ullam uim, et locum habere poſſint conſtitutionis, niſi duæ ſaltem ex tri-bus partibus huiuſmodi uocem in ipſo Capitulo habentium concurrerint, et hoc ordine fuerint per duo alia immediata Capitula generalia ſequen-tia comprobatæ, quæ ſic ut comprobatæ fuerint cenſeantur mox apoſto-lico robore communitæ. Quibus conſtituionibus, decretis, ordi-nationibus, declarationibus, et correctionibus ſinguli de Congregatione huiuſmodi, cuiuſcunq; dignitatis, ſtatus, gradus, ſeu conditionis exiſtant, efficaciter parere omnino teneantur. Nolumus tamen, ꝙ ad pecca-tum, niſi contrafiat ex contemptu, aliquem obligent. Et quotiens Prælatus aliquis monaſterium, cui præfuerit reformare, et ad ipſius Congregationis obſeruantiam reducere decreuerit, reformationem ip-ſam iuxta inſtituta, decreta, ordinationes, et conſtitutiones huiuſmodi, pro

ut conuenientius poterit, exequatur. Capitulum autem generale no minamus, quod in dicta Congregatione ſingulis annis celebratur, in quo oẽs electiones Prioris generalis, et Viſitatorum, ac Abbatum, Priorum, Præpoſitorum, et aliorum quoruncunq; Officialium Monaſteriorum, et locorum dictæ Congregationis, necnon omnia alia ſtatuta, et ordinata, ut præmittitur, iuxta ritus, et conſtitutiones præfatas eo ipſo, quibus de conſenſu ipſius Capituli, ſeu eius Definitorum in formam publicam redacta fuerint, eiusdem apoſtolici muniminis declaramus robore cõmuniri. Huiuſmodi ergo Cõgregationis, et Capituli generalis diſpoſitioni, ordinationi, correctioni, reformationi, et obedientiæ uniuerſa Monaſteria, Prioratus, Domus, Conuentus, loca, necnon res, et bona cum ſuis membris, iuribus, et pertinentijs quibuſcunq;, quæ uidelicet iuſtis modis hactenus eis oblata, traditaq́; fuere, et dante Domino applicare poterunt quo modolibet in futurum, ac eorum perſonæ tam Clerici, quam Conuerſi, et Commiſſi in dictis Monaſterijs, Prioratibus, et Conuentibus, ac locis, ſiue membris degentes pro tempore, cuiuſcunq; dignitatis, ſtatus, aut conditionis fuerint, in omnibus ſubiecta perſeuerent. Vniuerſi uero Prælati eiusdem Congregationis ſub Prioris generalis, et alij Canonici, Conuerſi, et Commiſſi ſub Prælatorum, in quorum Monaſterijs, aut alijs locis deputantur, ſeu morantur, obedientijs uiuant, & eas illis humiliter præſtent. Et nulli Prælatorum, uel Canonicorum prædictorum ab inſtitutis, ordinationibus, correctionibus, et mandatis Capituli, ſeu Prioris generalis, aut aliorum Prælatorum ipſius Congregationis, ad quencunq; etiam ad nos, et ſedem prædictam, niſi de ſpeciali ſummi Pontificis licentia, appellare liceat, appellationesq́; deſuper pro tempore interpoſitæ, et inde ſecuta irrita habeantur. Sed cum contra aliquem Prælatum, uel Canonicum dictæ Congregationis ciuiliter, aut criminaliter agi contigerit, ſecundum conſtitutiones, & ſtatuta prædicta iuris communis apicibus, dillationibus, terminis, et litium anfractibus omiſſis procedatur.

16. Ac nullæ eccleſiaſticæ perſonæ, uel ſeculares, quacunq; authoritate, uel
dignitate prædite, etiam ſi patriarchali, uel Cardinalatus honore præ
fulgeant, aliquem ex Prælatis, uel Canonicis Congregationis prædictæ
obſequiorum, uel ſeruitiorum propriorum, uel monaſteriorum ſuorum,
ſeu prætextu cuiuſuis officij, etiam Capellanatus, ad eas diuertere, uel
alia quauis cauſa, etiam arctioris uitæ, ordinis, uel obſeruantiæ, à dicta
Congregatione educere, uel ſpōte uenientes recipere, et penes ſe retine
re audeant, etiam authoritate literarum apoſtolicarum, abſq; literis di-
miſſorijs dictæ Congregationis, ſeu Prioris generalis, et Viſitatorum eius
dem. Quod ſi recipientes præfati infra tres dies poſtquam eis præſentes
innotuerint, Prælatum, ſeu Canonicum extra ipſam Congregationem
exiſtentem huiuſmodi eidem Congregationi nō reſtituerint cum effectu,
uel à ſe realiter non abiecerint, excommunicationis ſententia una cum
ipſis receptis innodati exiſtant eo ipſo, à qua niſi in mortis articulo, aut
à Sede predicta abſolui non poſſint. 17 Neq; Congregationis huiuſmo
di Prælati quaruncunq; literarum apoſtolicarum prætextu, niſi illis præ
ſentibus ſpecialiter, et expreſſe derogetur, ad recipiendum Canonicos, qui
aliâs ab eorum propriis Monaſteriis, ſiue locis abſq; ſuorum Superiorū
licentia contumaciter receſſerint, à quoquam queant quomodolibet coar-
ctari. 18 Vt uero exeuntium ab eadem Congregatione motibus occurra
mus, decernimus ut nemo ex ipſa ad aliquem aliorum Ordinum, occaſione
etiam arctioris regulæ (ut præmiſſum eſt) tranſire, né ue ad aliquam di
gnitatem, ſeu adminiſtrationem extra ipſam ſuam Congregationem aſſu
mi poſſit: uolumusq;, ut quiſquis in ipſa Congregatione ſiue profeſſus, ſiue
ad ſacros ordines promotus (quam rem profeſſionis loco et eſſe, et haberi
ſtatuimus) habitum dictæ Congregationis relinquere, aut mutare nulla
authoritate poſſit, niſi miſſionem, literasq; à generali Capitulo, aut Prio
ris generalis, et Viſitatorum obtinuerit: quod tam de his, qui hactenus
exierint, intelligi uolumus, quam de his, qui in poſterum exituri ſunt,

etiam ſi literas apoſtolicas obtinuerint. Ne uero proteruis relin=
quatur litigandi, repugnandi ue locus, ſi quis eorum exeuntium cauſam
in Romana Curia ſuper ea re committi hactenus obtinuerit, uel in po=
ſterum obtinebit, ubi ad inhibendum, aut alia huiuſmodi agendum itum
fuerit, Motu, ſcientia, poteſtateq; prædictis lites huiuſmodi ad nos aduo=
camus, atq; omnino extinguimus, ſtatuentes æque ualere hoc decretum
noſtrum, ac ſi iudicum nomina, atq; alia omnia, quæ ſupra memorata
ſunt, hic ſatis expreſſa eſſent, etiam ſi ſacri palatij apoſtolici cauſarum
auditores exiſterent: uolumusq;, ut quicquid ſuper hac re fiet, aut fa=
ctum ſit, etiam ſi cauſam aut nos, aut prædicta commiſerit Sedes, pro
infectis omnino haberi, irritum præterea eſſe, atq; inane quicquid ſuper
his apoſtolica, ſiue alia quauis authoritate ſecus contigerit agi, aut at=
tentari. Generalis igitur Prior, et alij Abbates, et Priores dictæ
Congregationis pro tempore exiſtentes, ſeu ab eis deputati poſſint om=
nes, et ſingulos dictæ Congregationis huiuſmodi Canonicos ab illa ua=
gos, et fugitiuos, aut ſuis Superioribus inobediẽtes, et rebelles, et qui non
habita licentia ſe aliò tranſtulerint, uel aliquarum perſonarum qua=
cunq; dignitate etiam Cardinalatus honore fulgentium ſeruitij in Ro=
mana Curia, uel extra eam ſe adiecerint, uel ab eis literas familiarita=
tis, aut Capellanatus obtinuerint, uel quocunq; habitu induti fuerint, ca
pere, et in carceribus detinere, aut per cenſuras eccleſiaſticas, et alia iu
ris remedia, appellatione remota, etiam inuocato ad hoc (ſi opus fuerit)
auxilio brachij ſecularis, ad ſolitam, et debitam obedientiã compellere.
Nec quiſquam perſonas, quæ de iure communi religionem ingredi non
prohibentur, ex ſeculo fugientes, et ad dictam Congregationem uenire
affectantes uerberibus, aut uiolentijs quibuslibet impedire, aut prohibere,
uel à Monaſterijs, et locis cõgregationis eiuſdem præſentibus, uel futu
ris diuertere, aut ſuper hoc illis, uel eos recipientibus iniuriam, uel mole
ſtiam irrogare præſumant, cõtrafacientes uero præſentium notitiam ha

bentes,uel qui ea ignorauerint,et poſtquam ad eorum notitiam peruenerintta præmiſſis iniurijs,et uiolentiis nō deſtiterint,excommunicationis ſententiā ipſo facto incurrant,à qua,præterquam in mortis articulo conſtituti,niſi à Sede præfata abſolutionis beneficium nequeant obtinere. Statuimus ſimililiter,et ordinamus,ut oēs, qui religionem, locum,uel Ordinem alium quencunq; etiam arctiorem ingredi uouiſſent,tali uoto non obſtante,ad Congregationem,et Ordinem prædictos,illorumq́; profeſſionem libere,et licite ingredi, et inibi recipi, & admitti ualeant, ſuperq́; omnibus aliis uotis (præfato religionis duntaxat excepto) cum illis,et cum omnibus aliis ipſam Congregationem altiſſimo famulaturis ingredi uolentibus etiam diſpenſari poſſit,ac à quocunq; excommunicationis uinculo iniuncta eis iuxta eorum facultates reſtitutione,et pœnitentia ſalutari,tanquam uni ex Canonicis Congregationis huiuſmodi,abſolutionis beneficium impendi, ita tamen,ꝙ ſi ante profeſſionis emiſſionem diſceſſerint, in eandem excommunicationem ipſo facto reincidant. Et quia forſan nonnulli Congregationis,et Ordinis huiuſmodi habitum aſſumentes diuerſis perſonis,quæ ignorari,et non reperiri poſſent in aliquibus rebus,ſeu bonis obnoxii eſſent,eisdem Priori generali, Prioribus, & eorum uices gerentibus concedimus, ut ipſorum ſinguli in locis ſibi cōmiſſis bona ipſa in pios uſus libere, et licite conuertere poſſint, prout ſecundum deum melius uiderint expedire. Volumusq́; ꝙ qui ex præfatis Canonicis adeo Monaſteriorum ſuorum officiis occupati, ut in choro intereſſe, & officium diuinum uix ſine labore, & tedio dicere, ac ipſa eis ratione officiorum huiuſmodi incumbentia charitatis opera implere nequeant, & qui ad diuinum huiuſmodi officium dicendum adeo uel non docti, uel minus experti pro tempore exiſtunt, dummodo in ſacris non ſint ordinibus conſtituti, licet profeſſionem emiſerint,tamen ad perſoluendum totum diuinum officium integrum minime teneantur, ſed eorum Prælati habita ſuppoſitorum ſuorum conſydera=

tione, ultra officium beatæ Mariæ uirginis, ad quod obligati remaneant, iuxta diſpenſationem eis creditam, ſi eorum animabus expedire uidebitur, aliquid dicendum iniungant, quod cum animi alacritate ualeant adimplere. 25 Præterea decernimus, ꝙ eiusdem Congregationis præſentes, & futuri poſſint omnes etiam ſacros ordines, ad quos per eorum Superiores præſentati fuerint, à quocunq; maluerint catholico Antiſtite gratiam, et communionem apoſtolicæ Sedis habente recipere, & huiuſmodi Antiſtitem in ipſius Congregationis Monaſterijs, & locis duntaxat aduocare, ipſéq; Antiſtes Canonicos dictæ Congregationis à ſuis Superioribus ſibi pro tempore præſentatos apoſtolica authoritate abſq; aliqua licentia, & contradictione dioceſani, & abſq; ꝙ aliâs illi propterea præiudicium generetur, nulla examinatione præmiſſa, ſtatutis tamen à iure temporibus abſq; ulla promiſſione, aut obligatione ordinare, miſſas inibi celebrare, Eccleſias, altaria, & uaſa conſecrare, ueſtes benedicere, & alia pontificalia exercere. 26

Et ut Canonicis prædictis omnis uagandi adimatur occaſio, Definitoribus Capituli generalis duntaxat eiusdem Congregationis cum quibuſuis perſonis defectum natalium ex adulterio inceſtuoſo, & quouis alio genere nefario, & illicito coitu prouenientem patientibus: necnon Generali, & Viſitatoribus cum ijs, qui ex quauis cauſa, præterquam homicidij uoluntarij, bigamiæ, mutilationis membrorum irregulares forent, poſtquam Congregationem ipſam ingreſſi, et illam expreſſe profeſſi fuerint, perpetuo diſpenſandi, ut defectu, & irregularitatibus huiuſmodi non obſtantibus, ad quoſcunque etiam ſacros, & preſbyteratus ordines promoueri, & in illis etiam in altaris miniſterio miniſtrare, & ad quæcunq; officia, adminiſtrationes, ſeu dignitates prædictæ Congregationis, aut illius Eccleſiarum, Monaſteriorum, & locorum recipi, & aſſumi, illaq́; gerere, & exercere libere, & licite, & abſq; diſpenſatione dictæ Sedis, quotiens opus fuerit, ualeant, licen-

tiam, & facultatem ſimiliter concedimus, & etiam indulgemus. Similiter ꝙ præfatus Prior generalis, & alij Abbates, Priores, & Prælati dictæ Congregationis pro tempore exiſtentes ualeant in omnibus caſibus, in quibus de iure communi Prælatis, & Canonicis dictæ Congregationis authoritas, ſiue licentia, ſeu diſpenſatio Ordinariorum (ſi ab eis exempti non eſſent) foret neceſſaria, cum eis authoritate præfata diſpenſare, eisq; diſpenſandi licentiam, & authoritatem concedere. Et præterea ipſi Priori generali pro tempore exiſtenti poteſtatem facimus ſacrandi, benedicendiq; corporalia, ueſtes, & ea, quæ ſacris uſibus neceſſaria ſunt. Impartimur quoq;, ut huiuſmodi Congregationis ſacerdotes in itinere conſtituti, aut alia cauſa ſubſiſtente ante diem, & uſq; ad Nonam incluſiue Miſſam celebrare queant, & altare portatile in ipſorum itineratione cum debita reuerentia, & honore habere, & ſuper eo in locis tamen congruis, & honeſtis Miſſas, & alia diuina officia celebrare, ac ſacramenta eccleſiaſtica ibidem recipere, & ubi generale, ſeu in aliquo ſpeciali loco interdictum fuerit, in Ecclesijs ſuis, ac in altari portatili prædictis, et alijs quibuſcunq; locis honeſtis huiuſmodi Miſſas, & alia diuina officia celebrare. Quod ſi contingat ciuitates, terras, uel loca, in quibus Monaſteria, ſeu loca dictæ Congregationis conſiſtunt, eccleſiaſtico ſupponi interdicto, ut Congregationis Prælati, Canonici, Conuerſi, & commiſſi, nouitij, et Capellani, Moniales, ſiue ſorores, & oblatæ, ſeu commiſſæ perſonæ utriuſq; ſexus, quarum curam in ſpiritualibus gerunt, necnon laici intra ſepta Monaſteriorum ipſorum, ſeu locorum pro tempore habitantes, ac procuratores, et ſyndici, et negotia gerentes Monaſteriorum à præfatæ Congregationis Canonicis ad id deputatis, ianuis clauſis interdictis excluſis, & ſubmiſſa uoce Miſſas, & alia diuina officia audire, ac eccleſiaſtica ſacramenta ſuſcipere, ipſiq; Canonici illa celebrare, & miniſtrare, ac eos, cum decedere

contigerit, in Eccleſijs ſuis præfatis libere, & licite ſepelire poſſint, et ualeant plenam licentiam concedimus, & facultatem. (31)
Necnon Prælatis, Canonicis, et perſonis Congregationis huiuſmodi, quocunq; nomine cenſeantur, elargimur, ne propter participationem etiam in diuinis cum excommunicatis, ſuſpenſis, & interdictis à iure, uel ſtatutis Ordinariorum, aliquam excommunicationis, uel cenſurarum, aut peccati maculam incurrant, niſi ipſi excommunicati eſſent ſpecialiter denuntiati. (32) Prioriq; generali, & Viſitatoribus, ac ſingulis Prælatis dictæ Congregationis, et qui loco eorum conſtituuntur præſentes, et futuri, qui nunc ſunt, et pro tempore erunt, concedimus, ut cum Canonicis, nouitijs, Conuerſis, & Commiſſis eiusdem Congregationis diſpenſatione indigentibus, ſiue priuſquam intrauerint Congregationem, & Ordinem huiuſmodi, ſiue poſt, ac Monialibus, ſiue ſororibus, et oblatis, ſeu commiſſis perſonis utriuſq; ſexus, quarum curam (ut præmittitur) gerunt, in caſibus, quibus exceſſerint, et pro quibus excommunicationis, uel interdicti, aut ſuſpenſionis ſententias à iure, uel ab homine generaliter promulgatas incurrerint, et huiuſmodi ſententijs innodati, aut in locis generali, uel ſpeciali eccleſiaſtico ſuppoſitis interdicto diuina officia celebrantes, uel ſuſcipientes ordinem, ſic ligati notam irregularitatis ſimiliter incurriſſent; et in omnibus alijs caſibus, etiam ex cauſa cuiuſcunq; ſimoniæ; qualitercunq; generaliter, uel ſpecialiter Sedi prædictæ reſeruatis (exceptis duntaxat hæreticorum, relapſorum, ſchiſmaticorum, deferentium prohibita ad infideles, et literas apoſtolicas falſificantium, quos omnino ad eandem Sedem remitti uolumus) abſolutionis, & diſpenſationis beneficium iuxta caſuum exigentiam ualeant impartiri: Canonici uerò, & alii, quos pro tempore Prior generalis, Viſitatores, et Prælati prædicti in proprios habuerint confeſſores, eisdem Priori generali, Viſitatoribus, et Prælatis abſolutionis, et di=

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

ſpenſationis huiuſmodi beneficium etiam concedere poſſint. 33

Et cum ſæpe contingat, ꝙ ob ſingularem deuotionem, quam nonnullæ perſonæ ad Canonicos dictæ Congregationis gerunt, ad eosdem pro earum ſalute animarum recurrant, eiusdem Congregationis Prælatis, ſeu Canonicis à ſuis Superioribus ad audiendum huiuſmodi perſonarum confeſſiones deputatis ꝙ perſonas ipſas accedentes audire, et perſonæ ipſæ eis abſq; alia eorum ſuperiorum licentia confiteri, necnon dictis Prælatis, ſeu Canonicis confeſſiones huiuſmodi audientibus dictos confitentes pœnitentia, & ſatisfactione præuijs quotiens opus fuerit ab omnibus, & ſingulis peccatis Sedi prædictæ non reſeruatis, et à quibuſcunq; ſuſpenſionum, excommunicationum, & interdicti ſententiis, aliisq; eccleſiaſticis cenſuris, & pœnis, quas à iure, uel ab homine latas incurriſſe quomodolibet conſtiterit, abſoluere, et uota per eos pro tempore emiſſa in omnibus, & ſingulis caſibus locorum Ordinariis etiam per ſynodales, ſeu prouinciales conſtitutiones reſeruatis in alia pietatis opera commutare, & deſuper cum eiſdem uouentibus diſpenſare (exceptis tamen cenſuris, pœnis, uotis, & caſibus, ſuper quibus eſſet Sedes præfata merito conſulenda) et ipſis confitẽtibus ac aliis omnibus, qui ad præfatos Canonicos ob huiuſmodi deuotionem recurrerint, Euchariſtiæ ſacramentum miniſtrare libere poſſint. 34

Mandantes expreſſe Ordinariis, ac rectoribus parochialium Eccleſiarum, ne eorum parochianis, ꝙ Canonicis dictæ Congregationis non confiteantur, aliquo pacto prohibere, ſeu perſuadere præſumant, & nullatenus denegent miniſtrare huiuſmodi confitentibus eiſdem Canonicis quæcunq; eccleſiaſtica ſacramenta, dummodo aliquod Canonicum et rationabilis cauſa non ſubſiſtat. 35 Cupientes etiam animarum Canonicorum prædictorum ſaluti ſalubriter conſulere eis pariter concedimus, ut liceat ipſis, et cuilibet ipſorum, necnon Conuerſis, Commiſſis & nouitiis ſuis, ac Monialibus, ſiue ſororibus, & oblatis, ſeu

commiſſis perſonis prædictis utriuſq; ſexus præſentibus, et futuris ſe=
mel in uita, et in mortis articulo quencunq; preſbyterum ex Canonicis
præfatæ Congregationis, in caſu uero neceſſitatis alium preſbyterum
idoneum tam ſecularem, quam cuiusuis alterius Ordinis regularem in
ſuum eligere confeſſorem, qui confeſſionibus huiuſmodi diligenter audi
tis pro commiſſis per eos criminibus, delictis, et peccatis in omnibus,
et ſingulis etiã ſedi apoſtolicæ reſeruatis caſibus debitam abſolutionem,
et plenariam omnium peccatorum ſuorum remiſſionem poſſint authori
tate noſtra impendere, et pœnitentiam iniungere ſalutarem. 36
Ita tamen ꝙ quilibet ex confitentibus huiuſmodi poſtquam Congrega=
tionem ipſam fuerit ingreſſus, et antequam ad articulum mortis deue=
niat, teneatur (ſi clericus, uel preſbyter fuerit) ſeptem pſalmos pœni=
tentiales, ſi uero Conuerſus, uel Commiſſus fuerit, uel alia perſona ex
prædictis utriuſq; ſexus, quæ ipſos pſalmos pœnitentiales legere neſci=
ret, quinquagies orationem dominicam, et totidem ſalutationes bea=
tæ Virginis ſingulis ſeptimanis per unum annum duntaxat pro con=
ſeruatione ſtatus Romanæ Eccleſiæ (legittimo tamen ceſſante impedi=
mento) dicere, et omittentes alia uice ſupplere teneantur, ac poſſint di=
cendo quinquaginta uicibus dictos ſeptem pſalmos pœnitentiales commu
niter, uel diuiſim huiuſmodi debito in integrum ſatisfacere: et ſi interim
aliquem poſt incœptam, et non perfectam pœnitentiam huiuſmodi ab hac
luce migrare contingat, ipſe nihilominus plenariam remiſſiõnem conſe
quatur, dũmodo intentionis fuerit illam (ſi ſuperuixiſſet) perficiendi. 37
Concedimus præterea Canonicis, Conuerſis, Commiſſis, et Nouitijs
ac Monialibus, ſiue ſororibus, et oblatis, ſeu commiſſis perſonis utriuſq;
ſexus prædictis præſentibus, & futuris, qui in diebus, in quibus ſta
tiones in nonnullis tam intra, quam extra almam Vrbem Eccleſijs con
ſiſtentibus exiſtunt, quinq; altaria Eccleſiarum Monaſteriorum,
ſeu locorum ſuorum, in quibus tunc eos moram trahere contigerit,

deuote uiſitauerint , & pſalmum Dauid Miſerere mei uidelicet illum ſcientes ; alij uero quinquies orationem dominicam, & toti- dem ſalutationem angelicam coram quinq; altaribus huiusmodi pro felici ſtatu ſanctæ Romanæ Eccleſiæ dixerint, easdem concedimus indulgentias perinde ac ſi dicti Canonici, Conuerſi, Commiſſi, no- uitij, Moniales, et perſonæ perſonaliter Eccleſias urbis præfatæ, et extra uiſitaſſent: et in defectum altarium alia pia, et deuota loca ad uiſitationem huiuſmodi, et alia præmiſſa faciendum eligere poſſint; etiam ſi eos extra Monaſteria, et loca huiuſmodi eſſe contigerit. Volumus inſuper quod dictæ Congregationis Prælati, uel Canonici lite- ras Sedis prædictæ, aut ipſius legatorum, ſeu delegatorum ſuper ad- miſtranda iuſtitia, executione facienda, uiſitatione, ſeu correctione exercenda, aut pro colligendis pecunijs, aut pro denuntiatione ſenten- tiarum, interdicti, et excommunicationis, aut pro recipienda cura Monialium, ſeu religioſorum quoruncunq;, aut alio quouis negotio peragendo ad eos pro tempore impetratas, et directas acceptare, et in illis contenta exequi, et iuramentum de calumnia, uel ueritate di- cenda ſubire, aut teſtimonium perhibere, ſeu extra ſuas ciuitatem, et dioceſim trahi ad quæuis concilia prouincialia, et ſynodalia, aut con- gregationes (quouis nomine cenſeantur) eccleſiaſticarum, uel laica- rum perſonarum, cuiuſcunq; dignitatis, aut ſtatus exiſtant, etiam apo ſtolica authoritate indicta, præterquam ad ipſius Congregationis Ca- pitulum generale celebrandum, aut aliâs iuxta eorum ordinationes, ire, uel mittere, aut proceſſionibus publicis, aut funeralibus intereſ- ſe inuiti minime teneantur. Sed neq; ipſis inuitis in eorum lo- cis, et Monaſterijs per aliquos Epiſcopos, uel eorum Ordinarios, aut alias quaſcunq; perſonas ſub excommunicationis pœna, quam ipſo facto contrafacientes incurrant, Miſſæ, et alia diuina officia; neq; mortuorum officium, etiam ſi apud eos corpora defunctorum ſepeliri

contingat,

contingat, quoquomodo celebrentur, ordines conferantur, uel agitetur cauſæ ciuiles, uel criminales, proceſſiones conuocentur, aut Synodus, conuentus, ſeu quæuis congregationes tam eccleſiaſticarum, quam laicarum perſonarum fiant: immo ꝙ neq; ipſi Epiſcopi, ſeu Ordinarij, et alij quicunq; ad huiuſmodi loca accedere, ſeu in ipſis immorari ipſis Canonicis (ut præmittitur) inuitis ullo modo præſumant. Inhibentes multo magis, ꝙ ut huiuſmodi Congregationis loca ad uſum, hoſpitium, habitationem, detentionem, & incarcerationem eccleſiaſticarum, & laicarum perſonarum deputentur, aſtringi, ſeu cogi aliquo modo poſſint. Teſtimonia uero Prælatorum, Canonicorum, Conuerſorum, Commiſſorum, & Nouitiorum dictæ Congregationis in cauſis ipſorum ciuilibus, & criminalibus in iudicio, & extra legitima, ſeu iuridica ſint. Præterea ne Congregationem ipſam, & illius Canonicos per locorum Ordinarios quauis occaſione, uel cauſa, et præſertim ratione eccleſiarum parochialium, ſeu aliorum locorum dictæ Congregationis pro tempore, quibus animarum cura imminet, moleſtari contingat, & huiuſmodi prætextu in Congregationem, et Canonicos prædictos aliquam ſuperioritatem ſeu dominium habere prætendant, ipſis quoq; concedimus, & indulgemus, ut in parochialibus Eccleſijs huiuſmodi poſſit Congregatio ipſa, ſeu ipſius Canonici per ſe, aut per preſbyteros ſeculares, aut regulares ſui, aut cuiuſlibet alterius Ordinis (aliâs tamen habiles, & idoneos) ad ipſorum nutum deputandos, & amouibiles animarum curam prædictorum parochianorum Eccleſiarum parochialium huiuſmodi libere, & licite exercere: quodq; ipſi capellani, dum curam huiuſmodi gerent, ea libertate, atq; exemptione fungantur, & ubiq; fruantur, ac ſi ex Canonicis Congregationis, & Ordinis prædictorum exiſterent. Sepulturam quoq; in locis, Cimiterijs, & Eccleſijs dictæ Congregationis concedimus, & eam liberam eſſe decernimus, ita ꝙ deuotioni, & extremæ uoluntati

eorum, qui in locis huiuſmodi ſepeliri uoluerint, nullus obſiſtat: ſalua tamen iuſtitia illarum Eccleſiarum*, à quibus mortuorum corpora ſumuntur.* Et ut *dictæ* Congregationis Canonici *diuinis beneplacitis quietius, & liberius inſiſtant, eoſdem* Congregationem*, & illius generalem* Priorem*,* Viſitatores*, & alios* Prælatos*, ac* Canonicos*,* Conuerſos*,* Commiſſos*,* Nouitios*,* Moniales*, ſiue ſorores, & oblatas, ſeu commiſſas perſonas prædictas utriuſq; ſexus, ac capellanos etiam curam habentes animarum, necnon familiares, & ſeruitores ipſorum nunc, & pro tempore exiſtentes, ac ipſius* Congregationis Monaſteria*,* Prioratus*, & loca, etiam quæ in poſterum eidem* Congregationi *quandocunq; uniri, & incorporari, ſeu ſubijci, uel aliâs quomodolibet aggregari contigerit, ac omnia, & ſingula dictorum* Monaſteriorum*,* Prioratuum*, & locorum præſentium, & futurorum* Eccleſias*, capellas (etiam ſi ipſis cura immineat animarum) oratoria, manualia, membra,* Caſtra*, fortilitia, ædifitia, uillas, grangias, uineas, oliueta, hortos, syluas, nemora, prata, paſcua, piſcationes, molendina, aquas, aquarum decurſus, iura, iuriſdictiones, prædia, poſſeſſiones, & bona quæcunq;, quæ in præſenti ſunt, & in futurum erunt dictæ* Congregationis*, & quæ omnia, & ſingula per eorum uocabula, confines, ualores, qualitates, et quantitates hic haberi uolumus pro ſufficienter expreſſis, à quoruncunq; legatorum etiam de latere, & ſubdelegatorum, nec non nuntiorum dictæ* Sedis*, ac* Vicariorum*, rectorum, quoruncunq; officialium* Romanæ Eccleſiæ*, necnon* Patriarcharum*,* Archiepiſcoporum*,* Epiſcoporum*, adminiſtratorum, electorum, & aliorum quoruncunq; iudicum,* Ordinariorum*, etiam inquiſitorum hæreticæ prauitatis quauis authoritate, & poteſtate, dominio, uiſitatione, reformatione, correctione, & inquiſitione, ita ꝙ in dictam* Congregationem*, uel eius ſingulares perſonas, ſeu benefactores occaſione beneficiorum eiſdem col-*

latorum ab eis, aut quia ſubditi eorum cum eisdem Canonicis conuerſentur, ſeù ab ipſis recipiant abſolutionis, & Euchariſtiæ ſacramentum, necnon Monaſteria, Prioratus, loca, & perſonas in eis degentes ratione delicti, exceſſus, ſeu contractus, aut rei, de qua agitur; ubicunq; ineatur contractus, committatur delictum, aut res ipſa conſiſtat, excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aut alias quasuis ſententias, niſi de ſpeciali Sedis prædictæ commiſſione quomodolibet directe, uel indirecte proferre, aut promulgare non poſſint, prorſus eximimus, & totaliter liberamus. Eaq;, & eorum quodlibet in ius, et proprietatem beati Petri, ac Sedis eiusdem, & ſub eorum ſpeciali protectione, atq; noſtra ſuſcipimus, ita ꝙ de cætero dicta Congregatio cum Monaſterijs, membris, & Eccleſijs, locis, perſonis, & iuribus ſuis ſupraſcriptis, & alijs quibuſcunq; eidem Sedi immediate ſubiecta exiſtant, & eſſe cenſeantur. Quod ſi Legati, Subdelegati, aut Ordinarij, ſeu aliæ perſonæ prædictæ contra exemptionem, & liberationem noſtras prædictas quicquam attentare quomodocunq; preſumpſerint, ac requiſiti uigore præſentium per ipſius Congregationis Prælatos, uel Canonicos infra tres dies à die requiſitionis huiuſmodi non deſtiterint, excommunicationis ſententiæ ipſo facto nouerint ſe ſubiectos, & nihilominus quod aliter actum fuerit eo ipſo ſit irritum, & inane, nulliusq; roboris, uel momenti. Decernentes ex nunc omnes, & ſingulos proceſſus, ac excommunicationis, ſeu ſuſpenſionis, & interdicti ſententias, cenſuras, & pœnas, quas, & quicquid contra Congregationem, ſeu illius Canonicos, perſonas, Monaſteria, Eccleſias, & loca huiuſmodi haberi, & fieri contigerit, ſeu etiam promulgari, irritos, & inanes, nulliusq; roboris, uel momenti eſſe, ac pro nullis, & infectis haberi debere, etiam exemptione Congregationis huiuſmodi, quam tanquam notoriam, & manifeſtam habere uolumus, non aliter allegata, ſeu aliter de ea mentione facta.

Nulli quoq; Reges, Principes, Duces, Marchiones, Barones, Milites, Nobiles laici, Communitates, Vniuerſitates, Magiſtratus, Rectores, et Officiales ciuitatum, terrarum, caſtrorum, & dioceſum quaruncunq; Monaſterijs, Prioratibus, locis, capellis, Ecclesijs, manualibus, grangijs, caſtris, poſſeſſionibus, & bonis, necnon Prælatis, & Canonicis, Monialibus, ſiue ſororibus, ac perſonis ipſius Congregationis gabellas, talias, datia, collectas, etiam pro pontium refectionibus, aut uiarum reparationibus, aliáue onera, ſeu grauamina inferre, indicere, uel imponere, aut indicta, & impoſita exigere ſub excommunicationis, & maledictionis æternæ pœnis, quas Principes, Duces, Marchiones, Barones, Milites laici, Communitates, Vniuerſitates, Magiſtratus, rectores, & Officiales prædicti (niſi præſentium habita notitia prorſus deſtiterint) ipſo facto incurrant, audeant, uel præſumant. Nec aliquid ex dictæ Congregationis, & earum Monialium, ſiue ſororum, ac Monaſterijs, Prioratibus, grangijs, membris, manualibus, et locis prædictis ad dandum, ſeu ſoluendum aliquam canonicam portionem, ſiue decimas, aut quicquid aliud, quod eorum loco ſolui conſueuerit, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Capitulis, parochianis, collegijs, Vniuerſitatibus, Communitatibus, & fabricis, & alijs quibuſcunq; perſonis de iure, uel conſuetudine, aut ſtatutis, uel priuilegijs quibuſcunq; ex quacunq; cauſa hactenus ab eis forſan debita, ſeu quæ deberi prætenderetur quomodolibet in futurum, etiam de relictis, donatis, & legatis tam in ultimis uoluntatibus, quam etiam inter uiuos, ſeu aliâs quacunq; occaſione conceſſis, & concedendis, etiam ſi forte per nos, uel Sedem prædictam de legatis pie diſpoſitis, & relictis in genere, uel in ſpecie decima, uel alia portio, ſeu quota alteri piæ, uel non piæ rei ex quauis cauſa hactenus, & præſertim Eccleſiæ ſancti Petronij ciuitatis noſtræ Bononienſis conceſſa fuiſſent, aut in futurum concedi, ſeu ſolui, aut dari mandari contigerit,

quomodolibet teneantur: decernentes Congregationem, et Canonicos huiusmodi, ac Moniales, ſiue ſorores, et prædictas perſonas oblatas utriuſq; ſexus, et illorum Eccleſias, Monaſteria, et loca, et eis legata, atq; relicta, aut aliâs in eorum fauorem diſpoſita, in conceſſionibus, et mandatis huiuſmodi includi, ſeu comprehendi non debere.

Diſtrictius inhibentes Ordinarijs locorum ſub interdicti Eccleſiæ ingreſſus, et ſuſpenſionis à diuinis, ac regiminis, et adminiſtrationis Eccleſiarum ſuarum, Rectoribus uero parochialium Eccleſiarum, et quibuſuis alijs perſonis ſub excommunicationis latæ ſententiæ, et priuationis earundem parochialium Eccleſiarum, ac omnium aliorum beneficiorum eccleſiaſticorum, quæ obtinent, necnon inhabilitationis ad illa, et alia in poſterum obtinenda pœnis, quas ſcienter contrafacientes ipſo facto incurrant, ne Ordinem, et Congregationem ſancti Saluatoris Canonicorum Regularium huiuſmodi, ac illius Canonicos, Eccleſias, Monaſteria, et loca prædicta, ac Moniales, ſiue ſorores, et oblatas perſonas prædictas utriuſq; ſexus præter, et contra tenorem, ac formam huius preſentis noſtri indulti, et aliarum conceſſionum (ut præmittitur) Congregationi ſancti Saluatoris prædictorum Canonicorum Regularium, ſeu Ecclesijs, Monaſterijs, et membris, ac locis ſuis, Monialibus, ſiue ſororibus, et oblatis perſonis prædictis factarum quoquomodo inquietare, nec eos, aut teſtamentorum, et ultimarum uoluntatum executores, aut teſtantium hæredes, ſeu quoſcunq; alios directe, uel indirecte ad ſolutionem alicuius quartæ parochialis ſeu canonicæ, uel alterius portionis, ſiue oneris compellere quoquomodo (ut præfertur) præſumant. Sed ipſa Monaſteria, Prioratus, loca, manualia, grangiæ, poſſeſſiones, et bona, ac Prælati, Canonici, Moniales, ſiue ſorores, et oblatæ perſonæ Congregationis eiuſdem ſancti Saluatoris ab omni impoſitione, exactione, collecta, decima, charitatiuo ſubſidio, aut alio quocunq; reali, ac perſonali, uel mixto onere, uel grauamine,

quouis nomine cenſeatur, per nos etiam, et ſucceſſores noſtros Roman. Pontifices pro tempore indictis, necnon omnibus cenſibus, redditibus, et ſolutionibus ratione ſubiectionis, aut uiſitationis quocunq; iure quibuſcunq; Ordinarijs, Capitulis, Collegijs, Congregationibus, Vniuerſitatibus, aut alijs quibuſcunq; perſonis hactenus debitis, quæ nos eiſdem Congregationi, et Canonicis de apoſtolicæ poteſtatis plenitudine gratioſe remittimus, et in futurum debendis, illorumq́; ſolutione, et præſtatione ſint, eſſeq́; debeant libera penitus, et exempta, atq; immunia, ita ꝙ ad illorum præſtationem, uel ſolutionem per quoscunq;, et quarumuis etiam apoſtolicarum literarum uigore cogi, aut deſuper inquietari nequeant. Similiter, ut ad præſtationem procurationum Legatorum, ſeu Nuntiorum dictæ Sedis, ſeu ad ſolutionem etiam decimarum, quas papales appellant, et quas Sedes prædicta pro Chriſtianæ fidei defenſione, aut alijs imminentibus perſæpe neceſſitatibus imponit, minime teneantur, dictoſq́; Canonicos, Moniales, ſiue ſorores, et oblatas perſonas ad hoc minime obligatos declaramus, etiam ſi per quoſcunq; exemptos perſolui mandarentur cum quibuſuis derogatorijs, et fortioribus clauſulis, nec eos ab eorum ſolutione ceſſando cenſuras, et pœnas incurrere, niſi præſentibus de uerbo ad uerbum, et earum toto tenore inſerto, et non per generales clauſulas ſpecialiter et expreſſe derogetur, et de ipſis omnimoda, et indiuidua mentio fiat. Nulluſq́; ab eiſdem de quibuſcunq; poſſeſſionibus ubilibet conſtitutis, quæ in præſenti ſunt, uel in futurum erunt Monaſteriorum, Prioratuum, et bonorum dictæ Congregationis ſancti Saluatoris, ac Monialium, ſiue ſororum, et oblatarum perſonarum huiuſmodi utriuſq; ſexus, quæ illius Prælati, Canonici, Moniales, ſiue ſorores, & dictæ perſonæ oblatæ colunt, ſeu coli faciunt, & in futurum colent, ſeu coli facient ex hortis, uirgultis, piſcationibus, uel de nutrimentis animalium primitias, decimas, quarteſia, aut quocunq; nomine

nuncupata alia iura exigere, uel extorquere præſumat, nec ipſi illa cuiquam ſoluere ſint aſtricti. Præterea quaſcunq; poſſeſſiones, bona, iura, & iuriſdictiones ad ipſa Monaſteria, loca, Eccleſias, capellas, oratoria, & hoſpitalia tam præſentia, & futura ipſius Congregationis, & eius Monialium, ſiue ſororum, ſeu oblatarum perſonarum in quibuſcunq; mundi partibus conſtituta, & pertinentia, quarum nomina, & cognomina hic haberi uolumus pro expreſſis, quæ in præſentiarum Canonici, Moniales, ſiue ſorores, & oblatæ perſonæ utriuſq; ſexus huiuſmodi Congregationis iuſte, et canonice poſſident, et in futurum Pontificum conceſſione, largitione Regum uel Principum, oblatione fidelium, uel alijs iuſtis modis præſtante domino poterunt adipiſci, ipſis Monaſterijs, capellis, et oratorijs, hoſpitalibus præſentibus, et futuris firma, rata, et illibata ſeruari uolumus: decernentes, ut nulli omnino hominum liceat præfata Monaſteria, ſiue loca (ut præfertur) exempta, res, et bona mobilia, et immobilia, poſſeſſiones, domos, molendina, aquas, piſcarias, iura, iuriſdictiones temere perturbare, aut illa, ſeu illorum aliquod auferre, uel ablata retinere, occupare, ſeu quibuſlibet uexationibus fatigare: quod ſi aliqua eccleſiaſtica ſecularis ue perſona cuiuſcunq; gradus uel conditionis exiſtat, etiam ſi pontificali dignitate præfulgeat, contra hoc noſtræ exemptionis, liberationis, decreti, conceſſionis, defenſionis, conſeruationis, et libertatis indultum uenire, dicta bona, iura, iuriſdictiones, exemptiones, et indulta, uel aliquid eorum uiolando, occupando, turbando, uel diminuendo, ſeu indebite fatigare præſumpſerit, nec facta ei notitia de huiuſmodi noſtro indulto, infra tres dies ſe correxerit, aut idoneam cautionem de ſatiſfaciendo præſtiterit, excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrat, à qua niſi dicta ſatiſfactione præſtita, præterquam in articulo mortis, et tunc de ſatiſfaciendo per ſe, ſi ſuperuixerit, aut per ſuos, uel ſucceſſores idoneos præſtita cautione nequeat abſolutionis beneficium obtinere.

54 Volumus autem, ꝙ præfatæ Congregationis, & eius Monialium, ſiue ſororum, ac oblatarum perſonarum utriuſq; ſexus Monaſteria, & loca, hæreditates, legata, & fideicommiſſa per medias perſonas Canonicorum, Monialium, ſiue ſororum, & oblatarum perſonarum huiuſmodi, aut aliâs qualitercunq; ad ea delata bona mobilia, et immobilia in quibuſcunq; ciuitatibus, et locis quouis titulo acquirere, ipſiq; Canonici, Moniales, ſiue ſorores, et perſonæ illa pro ſe, et eorum Monaſterijs petere, et exigere poſſint, undecunq;, uel qualitercunq; eis debeantur, et quæ petendi, et exigendi (ſi in ſeculo remanſiſſent) ius haberent.

55 Et contra præfatæ Congregationis, ac illius Monialium, ſiue ſororum Monaſteria, loca, perſonas, et bona tam in præteritis, quam in futuris aliqua nõ currat præſcriptio, niſi poſt lapſum ſexaginta annorum.

56 Vtq; circa utilitatem, et commodum Monaſteriorum, Eccleſiarum, et locorum ſuorum huiuſmodi, ac illorum iurium magis intendere ualeant, Capitulo generali Congregationis prædictæ, ac illius pro tempore Priori generali cum Viſitatoribus per præſentes impartimur authoritatem concedendi Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, et Capitulis Eccleſiarum, Monaſteriorum, et locorum ſuorum, ac præfatarũ Monialium ſiue ſororum, quarum curam gerunt, licentiam permutandi, ſeu alienandi, quotiẽs opus fuerit, uel in emphitheoſim, uel liuellum, et affictum perpetuo, uel ad tempus quibuſuis perſonis etiam ſecularibus pro condecenti annuo canone, ſeu cenſu quæcunq; bona immobilia Congregationis prædictæ, ac illius Monaſteriorum, Eccleſiarum, et locorum, ſeu prædictarum Monialium, ſiue ſororum pro ipſorum tamen euidenti utilitate. 57 Concedimus inſuper Motu, ſcientia, & poteſtate prædictis, ut omnia, & quæcunq; loca, domos, Eccleſias etiam parochiales, et cuiuſcunq; Ordinis ſint, aut conditionis, Congregationi, et Canonicis prædictis per quoſcunq; oblata apprehendere, et capere poſſint harum noſtrarum uigore & abſq; alia Sedis prædictæ conceſſione.

/58/ Necnon Priori generali, Viſitatoribus, & alijs Abbatibus, Prioribus, & Prælatis præfatis, aut alijs per Congregationem huiuſmodi ad id pro tempore deputatis in unionibus, annexionibus, incorporationibus, & reformationibus, ſeu receptionibus Monaſteriorum, Prioratuum, uel aliorum beneficiorum eccleſiaſticorum pro ipſa Congregatione faciendis cum Prælatis, & perſonis Monaſteria, ſeu beneficia huiuſmodi per eos obtenta in Congragationis huiuſmodi, ſeu alicuius illius particularis Monaſterij commodum dimittere uolentibus conuentiones, & pacta, quæ illicita, & (quando apoſtolica confirmatione carerent) expreſſe prohibita cenſerentur, inire, ac Monaſteria, Prioratus, & alia beneficia quæcunque, quæ actenus conditionibus, & pactis huiuſmodi interuenientibus acquiſierint, retinere, ipſaq; conuentiones, & pacta obſeruare, abſq; eo ꝙ aliquam propterea ſimoniæ labem incurrant, libere, & licite ualeant. /159/ Monaſteria autem, & Prioratus, quæ nunc ſunt, & pro tempore erunt etiam unita præfatæ Congregationi, per Prælatos duntaxat eiusdem Congregationis regantur, & gubernentur, & quotiens illa ubicunq;, etiam apud Sedem prædictam, & qualitercunq; uacare contigerit, etiam ſi ſpeciales, uel generales de illorum prouiſionibus, ſeu diſpoſitionibus per dictam Sedem reſeruationes factæ fuerint, generale Capitulum, ſi tunc celebretur, alioquin generalis Prior, & Viſitatores illos ex eiusdem Congregationis Canonicis præſentibus, & futuris etiam defectum natalium ex quibusuis perſonis patientes, quos ad id idoneos fore crediderint, in Prælatos tunc uacantium Monaſteriorum, & Prioratuum huiusmodi, aliâs ſecundum conſuetudines, conſtitutiones, ordinationes, & ſtatuta prædictæ Congregationis eligere, ſeu nominare, & ad eorum nutum, & beneplacitum taliter electos, ſeu nominatos à regimine, & adminiſtratione dictorum Monaſteriorum, & Priora-

tuum, quibus tunc præſuerint, & quæ tunc propterea uacare cenſeantur, abſoluere, et amouere, præfatiq; ſic electi, et nominati abſq; alicuius dictæ Sedis, uel alterius prouiſionis, ſeu diſpenſationis adminiculo, etiam præter hoc ꝙ eis benedictionis munus impendatur, ipſis Monaſterijs, & Prioratibus, ad quæ ſic electi, uel nominati fuerint, præeſſe, & illa in ſpiritualibus, & temporalibus regere, et gubernare, & omnes actus ibidem exercere, & inſignia deferre, ac ſi munus huiuſmodi ſucepiſſent. 60 *Et ſi continget, ut unus ſic electus nominatus aliqua legitima cauſa abeſſe à Monaſterio, & Prioratu, cui fuerit deputatus, ordinamus ꝙ alteri, eius durante abſentia, commiſſa huiuſmodi adminiſtratione in ſpiritualibus, & temporalibus iuxta eorum conſtitutiones, & ſtatuta, Prælato ipſi abſenti, ſi fuerit opportunum, præfatæ Congregationis aliud Monaſterium in ſpiritualibus, & temporalibus authoritate etiam apoſtolica regendum, & gubernandum dictum Capitulum, ſeu pro tempore Prior generalis cum Viſitatoribus committere poſſit, & ualeat.* 61 *Nec propterea ex Monaſterijs ipſis unum alteri cenſeatur eſſe ſubiectum, ſed eis in priſtina ſua libertate manentibus, ea neceſſitudinis adminiculo copulata ſub felici dictæ Congregationis regimine ſibi uniformi regularis obſeruantiæ greſſu inuicem ſuffragentur.*

62 *Nihil igitur ex dictis Monaſterijs, uel Prioratibus, aut alijs dictæ Congregationis locis per quaſcunq; literas apoſtolicas etiam Motu ſimili, & cum reſeruationibus, ac quibuſcunq; derogatorijs, per quas effectus præſentium quomodolibet impediri, uel differri poſſit, clauſulis conceſſas hactenus, & in poſterum concedendas per aliquem de dicta Congregatione, uel extra eam cuiuſcunq; ſtatus, gradus, ordinis, ſeu conditionis etiam ſi Cardinalatus honore, aut pontificali, uel alia quauis dignitate præfulgeat, in titulum, ſeu commendam, aut adminiſtrationem, uel aliâs obtineri,*

ſeu ſi ſuper alicuius illorum fructibus, redditibus, & prouentibus aliqua penſio reſeruari, concedi, uel aſſignari, ſeu ius ſibi deſuper acquiri, uel aliquis contra præſentium tenorem quouis quaſito colore, etiam prætextu quoruncunq; conuentorum, ſeu pactorum tanquam ſimoniacorum quempiam de dicta Congregatione ſuper aliquo ex Monaſterijs, Prioratibus, & locis prædictis ratione tituli, ſiue commendæ, uel adminiſtrationis, aut penſionis huiuſmodi, uel aliâs impetere, ſeu moleſtare ualeat. / 63.

Nullaq; deinceps ex beneficijs eccleſiaſticis cum cura, uel ſine cura ad collationem, uel prouiſionem, præſentationem, electionem, ſeu quamuis aliam diſpoſitionem Abbatum, uel Priorum, ac Conuentuum, Monaſteriorum, & aliorum locorum dictæ Congregationis communiter, uel diuiſim pro tempore pertinentibus etiam qualitercunq; beneficia ipſa, et ubicunq;, præterquam apud Sedem prædictam, uacare contigerit, dummodo diſpoſitioni apoſtolicæ generaliter reſeruata non fuerint, ſub gratijs, & expectatiuis, aut prouiſionibus, ſeu alijs diſpoſitionibus dictæ Sedis, facultatibus, ſeu indultis de conferendis beneficijs eccleſiaſticis uacantibus, uel uacaturis quibuſuis perſonis cuiuſcunq; ſtatus, gradus, dignitatis, ordinis, uel conditionis fuerint, aut quauis etiam dignitate pontificali præfulgeant, ab eadem Sede quomodolibet conceſſis, & inantea concedendis, quomodolibet cadant, ſeu comprehendantur, ſed ipſorum beneficiorum collatio, prouiſio, præſentatio, ſeu electio, & diſpoſitio illorum occurrente uacatione, præmiſſis non obſtantibus, ad Abbates, Priores, & Conuentus præfatos libere, et abſq; aliquo etiam præfatæ Sedis præuentionis impedimento pertineant, et ſpectent, ac de beneficijs ipſis nullus alius quam Abbates, ſeu Priores, et Conuentus prædicti quarũcunq; facultatum, et indultorum ſibi à Sede uel legatis præfatis qualitercunq;, et ſub quibusuis uerborum formis, & clauſulis etiam derogatoriarum

derogatorijs, etiam Motu ſimili conceſſorum, & concedendorum uigore, uel prætextu diſponere ualeat quoquomodo, ac omnes, & ſingulæ gratiæ, expectatiuæ, & acceptationes, prouiſiones, diſpoſitiones, collationes, & literæ Sedis prædictæ, & illius Legatorum huiuſmodi, facultateſq;, & indulta ſuper collationibus beneficiorum eccleſiaſticorum uacantium, ſeu uacaturorum quibuſuis etiam (ut præfertur) qualificatis perſonis, & cum prædictis clauſulis pro tempore conceſſa, proceſſuſq; deſuper pro tempore habiti, etiam excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliaſq; eccleſiaſticas ſententias, cenſuras, & pœnas in ſe continentes quoad beneficia, ad collationem, prouiſionem, præſentationem, electionem, aut aliam diſpoſitionem Abbatum, & Priorum, ac Conuentuum prædictorum reſpectiue ſpectantia huiuſmodi, ac totum id quicquid in contrarium à quoquam quauis authoritate ſcienter, uel ignoranter attentari contigerit, omni prorſus careant firmitate. 64 Sed neq; per quaſcunq; reuocationes, caſſationes, ſeu annullationes quaruncunq; unionum, annexionum, incorporationum, & appropriationum de quibuſuis Monaſterijs, Prioratibus, Ecclesijs, ſiue locis eccleſiaſticis per nos, ſeu ſucceſſores noſtros Romanos Pontifices, aut eorum aliquem in genere, uel in ſpecie ſub quibuſuis uerborum formis, uel expreſſionibns de cætero forſan faciendis, nullum dictæ Congregationi ſuper unionibus, incorporationibus, appropriationibus, & innouationibus quoruncunq; Monaſteriorum, Eccleſiarum, Prioratuum, aut aliorum beneficiorum eccleſiaſticorum per nos, & Sedem prædictam Congregationi, uel in eius fauorem faciendis præiudicium inferatur: ſed illæ omnes etiam poſt reuocationes, caſſationes, & annullationes prædictas in ſuo robore inconcuſſe perſiſtant in omnibus, & per omnia, ac ſi quoad eas, et ipſarum ſingulas aliqua reuocatio, annullatio,

& caſſatio nullatenus emanaſſent, niſi dum, & quando ipſæ ſuper unionibus, conceſſionibus, & appropriationibus, ſeu donationibus confectæ literæ in reuocationum, caſſationum, & annullationum literis, conſtitutionibus, & ordinationibus huiuſmodi de uerbo ad uerbum inſererentur, ac in eis ſpecialis, expreſſa, & indiuidua de ipſis Monaſterijs, & locis, ac Congregatione mentio fieret: necnon irritum, et inane totum, et quicquid in contrarium quauis authoritate ſcienter, uel ignoranter contigerit attentari. Necnon ꝙ deinceps per quaſcunq; reuocatorias, ſeu alias apoſtolicas conceſſiones, uel literas ſub quibuſcunq; uerborum formis, aut tenoribus, uel clauſulis derogatorijs, etiam ſi illæ Motu, et ſcientia ſimilibus emanauerint, nulla ex prædictis conceſſis, et quæ eidem Congregationi pro tempore concedentur, exemptionibus, immunitatibus, gratijs, indultis, priuilegijs, et conceſſionibus quomodolibet reuocari, caſſari, uel annullari, ſeu ipſis, uel ipſorum, ſeu quibuſuis in eis contentis particulis, et clauſulis derogari ualeat, niſi in derogatorijs, uel alijs literis, ſeu caſſationibus huiuſmodi illa, uel illæ ex literis, quæ reuocari, aut caſſari, ſeu annullari uiderentur, aut cui, uel quibus derogari appareret, eorumq; totus tenor de uerbo ad uerbum integre inſererentur, et de omnibus, et ſingulis Congregationis huiuſmodi Monaſterijs nominatim ſpecifica mentio fiat, ac in eiſdem reuocatorijs, caſſatorijs, uel alijs literis manifeſte, et expreſſe appareat, ꝙ Romanus Pontifex priuilegijs, indultis, et literis, de quibus tunc actum fuerit, uoluerit ſpecialiter derogare, uel illa reuocare, aut caſſare, ſeu annullare, et tunc demum urgens, ſufficiens, et rationabilis, per quam derogatio, reuocatio, caſſatio, uel annullatio ipſa merito fieri debeat, cauſa exprimatur: aliâs derogationes, reuocationes, caſſationes, irritationes, et annullationes, & quæcunq; exinde ſubſecuta nullius ſint roboris, uel momenti, ipſis conceſſis, literis, priuilegijs, indultis, gratijs, exem-

ptionibus, et libertatibus in ſuo priſtino plenario, atq; integro robore duraturis. Et ſi quando per aliquem, aut plures actus contra ea, aut ipſorum aliquod à quocunq;, cuiuſcunq; conditionis, dignitatis, gradus, aut ſtatus fuerit, ex negligentia, uel ignorantia præſentium, quibus hæc conceduntur, aut alia quauis cauſa ſcienter, uel ignoranter attentari, uel pro tempore obſeruari contingat, nullum tamen propterea exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, gratijs, indultis, et priuilegijs huiuſmodi præiudicium generetur: ſed ea omnia, et ſingula in ſuis robore, et firmitate permaneant. Præterea ſtatuimus, et decernimus q uniuerſæ, et ſingulæ perſonæ in dignitate eccleſiaſtica ubilibet conſtitutæ, et alias de iure communi habiles, et idoneæ ad cauſas audiendas, cum aliquæ ex eisdem perſonis pro parte eiusdem Congregationis ſancti Saluatoris, ſeu Prioris generalis, aut aliorum ex Congregatione huiuſmodi, ad quos ſpectabit, fuerint requiſitæ per ſe, uel alium, ſeu alios, præmiſſa ubi, et quando opus fuerit, publicare, ac eidem Congregationi, et Canonicis, illorumq; Eccleſijs, et Monaſterijs, membris, locisq; prædictis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtant, ac faciant Congregationem ipſam, illiusq; Canonicos, Moniales, ſiue ſorores, et perſonas, ac eorum Monaſteria, loca, et bona quæcunq; pacifica poſſeſſione, uel quaſi priuilegiorum, et conceſſionum huiuſmodi libere gaudere, et non permittant eos, ſeu teſtamentorum executores, et hæredes prædictos contra illorum tenores per Ordinarios, et rectores parochialium Eccleſiarum prædictos, ſeu alios quoſcunq; indebite moleſtari, aut eis grauamina, iniurias, atq; damna inferri, ſeu quomodolibet irrogari, quin immo dictæ Congregationi, ac illius Canonicis prædictis in quibuſcunq; caſibus, ſeu cauſis tam eccleſiaſticis, quam profanis per eos coram dictis perſonis contra quaſcunq; alias perſonas cuiuſcunq; qualitatis, conditionis, gradus, ordinis, dignitatis, nobilitatis, præe=

minentiæ, & ſtatus fuerint, etiam quacunq; mundana, uel eccleſiaſtica, aut patriarchali præfulgeant dignitate, ſeu exemptione mouendis ſummariæ, & de plano, ac ſine ſtrepitu, ac figura iudicij, ſola facti ueritate inſpecta, authoritate apoſtolica miniſtrent iuſtitiæ complementum, denuutientq; palam, & publice omnes, & ſingulos excommunicatos, quos eis conſtiterit cenſuras, & alias pœnas incurriſſe, ac faciant eos ab omnibus arctius euitari, & ubiq; pro excommunicatis, ſuſpenſis, & interdictis nuntiari, et legitimis deſuper factis proceſſibus illos, quotiens opus fuerit, iteratis uicibus aggrauent, ſeu aggrauari procurent, contradictores quoſlibet per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, inuocato etiam ad præmiſſa, ſeu aliquod eorum, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis, ſuper quibus omnibus eis facultatem concedimus per præſentes.

68 *Volumus autem q; uniuerſæ, & ſingulæ perſonæ, quibus cauſæ authoritate literarum apoſtolicarum delegari poſſent, dum, et quotiens pro parte Prioris generalis, & aliorum Abbatum, Priorum, et Conuentuum, ac Canonicorum, aut Monialium, ſeu ſororum, ac perſonarum Congregationis huiuſmodi, uel alicuius eorum fuerint legitime requiſiti ad executionem quaruncunq; literarum dictæ Sedis conſeruatoriarum nuncupatarum, ac præmiſſarum præfatæ Congregationi, uel eius Monaſterijs, Prioratibus, membris, Abbatibus, Prioribus, et Conuentibus, aut Monialibus, ſeu ſororibus, & perſonis contra illis inferentes moleſtias, iniurias, grauamina, atq; damna conceſſarum hactenus, & in poſterum concedendarum perpetuis futuris temporibus, procedant per ſe, uel alios, aliâs iuxta earundem conſeruatoriarum literarum continentiam, atq; formam in omnibus, & per omnia perinde, ac ſi ipſæ conſeruatoriæ literæ eis à principio directæ, eiſq;, ut quanuis aliâs conſeruatores eſſe non poſſent, illas exequerentur, expreſſe mandatum, & ſuper hoc conceſſa facultas fuiſſet.*

69 Non obſtantibus natalium defectu, ac pictauenſis Concilij, et piæ memoriæ Innocentij IIII. circa exemptos editæ, quæ incipit Volentes: & Martini V, necnon Bonifacij VIII. Roman. Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, quibus cauetur, ne quis extra ſuam Ciuitatem, & dioceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam à fine ſuæ dioceſis ad iudicium euocetur, ſeu ne iudices à Sede prædicta deputati extra ciuitatem, & dioceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcunq; procedere, aut alij, uel alijs uices ſuas committere præſumant, & de duabus dietis in concilio generali, necnon quæ incipiunt Super cathedra eiusdem Bonifacij PP. & dudum Viennenſis Concilij, ac piæ memoriæ Calliſti PP. etiam prædeceſſoris noſtri, & alijs literis, conſtitutionibus, et ordinationibus apoſtolicis, etiam quoruncunq; aliorum Pontificum ſimiliter prædeceſſorum noſtrorum, uel etiam in prouincialibus, et synodalibus concilijs editis, necnon ſpecialibus, uel generalibus Eccleſiarum, Monaſteriorum, Prioratuum, et aliorum regularium locorum etiam dictæ Congregationi unitorum, et illorum, ac prædictorum, et quorum ipſa unita Monaſteria, Prioratus, et loca extiterint Ordinum, et inter quoſcunq; eiusdem Congregationis ſancti Saluatoris Canonicos, ac locorum Ordinarios, ſeu rectores prædictos initis, et concluſis, ac hactenus obſeruatis pactis, et conuentionibus etiam iuramento, confirmatione apoſtolica, uel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, et conſuetudinibus, priuilegijs quoq;, indultis, et literis apoſtolicis quibuſuis Communitatibus, Vniuerſitatibus, Collegijs, Ecclesijs, Monaſterijs, Ordinibus, et alijs locis, Capitulis, Conuentibus, et perſonis etiam Motu, et ſcientia ſimilibus, et cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsq; fortioribus, efficacioribus, et inſolitis clauſulis, irritantibusq; decretis conceſſis hactenus, et in poſterum concedendis, aut ſi Patriarchis, Epiſcopis, et Rectoribus præfatis, uel quibuſuis alijs coniun-

ctim, uel

ctim, uel diuiſim à Sede præfata indultum exiſtat, ꝙ interdici, ſuſpen
di, uel excommunicari, aut ultra, uel extra certa loca ad iudicium euocari non poſſint per literas apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de uerbo ad uerbum de indulto huiuſmodi mentionem & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali, uel ſpeciali, cuiuſcunq; tenoris exiſtat, per quam præſentibus non expreſſam, uel totaliter non inſertam effectus earum impediri ualeat quomodolibet, uel differri, quibus omnibus etiam ſi pro eorum ſufficienti derogatione de illis, eorumq́; totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda foret, eorum tenores etiam ſi de uerbo ad uerbum inſererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliâs in ſuo robore permanſuris, hac uice duntaxat eiſdem Motu, & ſcientia ſpecialiter, & expreſſe derogamus: necnon omnibus illis, quæ præfati prædeceſſores in ſingulis per eos Congregationi huiuſmodi conceſſis literis uoluerunt non obſtare, cæteriſq́; contrarijs quibuſcunq;, /70/ Et quia difficile foret præſentes literas ad ſingulas prouincias, & loca opportuna, ubi neceſſe foret, deſtinare, uolumus, & dicta authoritate decernimus, ꝙ tranſumptis earum manu notarij publici ſubſcriptis, & alicuius Archiepiſcopalis, uel Epiſcopalis, ſeu alterius curiæ eccleſiaſticæ ſigillo munitis, ea prorſus in iudicio, & extra ubicunq; exhibita, uel oſtenſa erunt, fides adhibeatur, ac ſi ipſæ originales literæ forent exhibitæ, uel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, approbationis, innouationis, conſtitutionis, extenſionis, ſanctionis, declarationis, mandati, aduocationis, extinctionis, liberationis, exemptionis, ſuſceptionis, adiectionis, nominationis, ſtatuti, ordinationis, conceſſionis, indulti, impartionis, elargitionis, inhibitionis, remiſſionis, decreti, derogationis, & uoluntatis infringere, uel ei auſu temerario contra ire. Si quis autem hoc attentare præſumpſe=

rit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Dat. Romæ apud ſanctum Petrum Anno incarnationis dominicæ Milleſimo quingenteſimo duodecimo, Quarto nonas Aprilis, pontificatus noſtri Anno nono.

PAVLVS PAPA .III. AD PERPETVAM REI MEMORIAM. *Paſtoralis officij cura nobis, meritis licet imparibus, ex alto commiſſa nos excitat, & inducit, ut circa ſtatum perſonarum eccleſiaſticarum quarunlibet, præſertim ſub ſuaui religionis iugo ſtudio piæ uitæ uacantium ſalubriter dirigendum operoſis ſtudijs iugiter intendamus, ac ijs, quæ propterea proceſſiſſe dicuntur, ut firmiora perſiſtant, cum à nobis petitur, apoſtolici muniminis præſidium impartiamur, aliasq; deſuper diſponamus, prout locorum, & temporum qualitate penſata in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. Sane dilectus filius noſter Marcellus .tt. ſancti Marcelli preſbyter Cardinalis de Creſcentijs nuncupatus nobis nuper expoſuit, quod licet felicis recordationis Gregorius .XII. Martinus. V. Eugenius.IIII. Calliſtus.III. Pius.II. Paulus etiam .II. Xyſtus etiam.IIII.Innocentius .VIII. Alexander. VI. & Iulius ſimiliter .II. ac diuerſi alij Romani Pontifices prædeceſſores noſtri diuerſa priuilegia, gratias, facultates, immunitates, & indulta tam ſpiritualia, quam temporalia Congregationi ſancti Saluatoris Ordinis ſancti Auguſtini Canonicorum Regularium, eorumq; Monaſterijs, & alijs regularibus locis, ac perſonis per diuerſas eorum literas conceſſerint: ac præfati prædeceſſores ſeu eorum aliqui Conſtitutiones Congregationis huiuſmodi, etiam eas, quibus cauetur expreſſe, quod generalia ſtatuta, uel diutius per eosdem Congregationem obſeruatæ, & communiter approbatæ conſuetudines, etiam per eorum Priorem generalem, aut Viſitatores aliquo modo immutari, ſeu alia de nouo edi, uel inſtitui nequeant, nec de nouo edita, aut inſtituta uim conſtitutionis habeant, niſi prius à duabus ex*

tribus electorum partibus in tribus Capitulis generalibus continue, et immediate celebratis fuerint approbata, & confirmata, confirmarint. Nihilominus à paucis annis citra nonnullæ tam ipſorom Congregationis religioſæ, quam aliæ ſeculares perſonæ diuerſas conſtitutiones, ſeu reformationes per eosdem Congregationem obſeruandas, non ſolum citra duarum partium electorum huiuſmodi aſſenſum, uerum etiam extra Capitulum generale Congregationis huiuſmodi, & illis id ignorantibus contra antiquarum Conſtitutionum huiuſmodi tenores edere, & publicare, & ex prætenſa illarum obſeruantia eosdem Congregationem perturbare, et in diſſenſiones adducere præſumpſerunt. Verum com ex reformationibus huiuſmodi nonnullæ poſtmodum, quæ ad religionis augumentum, ac Canonicorum, aliarumq; perſonarum Congregationis huiuſmodi pacem, & tranquillitatem facere uidebantur, utpote De officio Eccleſiæ, De ieiunijs, & abſtinentia, De profeſſione Canonicorum, De rebus Monaſteriorum, & aliorum regularium locorum non alienandis, De electione, & authoritate, ac uiſitatione Prioris generalis, & Viſitatorum, ac eorum Subſtituti per diuerſa, & poſtremo per ultimum in Monaſterio ſancti Michaelis de Candiano Ordinis, et Congregationis prædictorum Paduan. dioceſis ſub die uigeſima nona menſis Aprilis proxime præteriti celebratum Capitula generalia receptæ, & rite, ac iuxta Conſtitutiones prædictas approbatæ, aliæ uero reprobatæ, & reiectæ fuerint, prout in diuerſis documentis, ac demum uno per dilectum filium Ioannem Ranzatum de Plebeſacci notarium publicum inſtrumento rogato, deſuper confectis dicitur plenius contineri: idem Marcellus Cardinalis, qui etiam eorundem Congregationis apud nos protector exiſtit, nobis humiliter ſupplicauit, ut pro ſalubri eorundem Congregationis directione ſu: pradictis, ac omnibus, & ſingulis alijs priuilegijs, gratijs, facultatibus, immunitatibus, & indultis eisdem Congregationi, ac eorum

Monaſterijs, & alijs regularibus locis, necnon bonis, & perſonis tam apoſtolica, quam ordinaria authoritate conceſſis, uſu receptis, et conſuetudine legitime præſcripta acquiſitis. Necnon eorundem Congregationis Conſtitutionibus tam per Xyſtum, & Iulium prædeceſſores præfatos confirmatis, quam etiam poſtmodum editis, & per tria eorundem Congregationis Capitula generalia ſucceſſiue celebrata iuxta ritus, & mores Congregationis huiuſmodi approbatis, & in poſterum edendis, & (ut præfertur) approbandis: necnon (ut præmittitur) factis receptioni, & approbationi reformationum huiuſmodi, ut uberiorem roboris firmitatem obtineant, noſtrarum approbationis, & confirmationis robur adijcere. Ac quæ ex eisdem reformationibus reprobate, & reiectæ fuerint, reprobare, & reijcere, aliaſq; in præmiſſis apportune prouidere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui religioſarum perſonarum quarunlibet ſalubrem directionem ſynceris deſyderamus affectibus, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati ſupradicta, ac omnia, & ſingula alia priuilegia, gratias, facultates, immunitates, & indulta eisdem Congregationi, ac eorum Monaſterijs, & alijs regularibus locis, necnon bonis, & perſonis tam apoſtolica, quam ordinaria authoritate conceſſa, uſu recepta, & conſuetudine legitime præſcripta acquiſita. Necnon eorundem Congregationis Conſtitutiones tam per Xyſtum, & Iulium prædeceſſores præfatos confirmatas, quam etiam poſtmodum editas, & per tria eorundem Congregationis Capitula generalia ſucceſiue celebrata iuxta ritus, & mores Congregationis huiuſmodi approbatas, ac in poſterum edendas, & (ut præfertur) approbandas: necnon (ut præmittitur) factas receptionem, & approbationem reformationum huiuſmodi, quorum omnium tenores, ac ſi de uerbo ad uerbum, nihil penitus omiſſo, inſerti forent, ac nomina, & cognomina, necnon gradus, et dignitates eorum, qui reformationes prædictas ediderunt,

etiam ſi Cardinalatus honore præfulgerent, et protectionis ipſorum Congregationis munere fungerentur, præſentibus haberi uolumus pro expreſſis, apoſtolica authoritate tenore præſentium ex certa ſcientia approbamus, et confirmamus, ac illis perpetuæ firmitatis robur adijcimus: omnesq́; et ſingulos iuris, et facti defectus (ſi qui forſan in Conſtitutionibus, ac receptione, et approbatione reformationum huiuſmodi interuenerint) ſupplemus, eaq́; omnia inuiolabiliter obſeruari, & præfatis Congregationi ſuffragari. Sicq́; in præmiſſis omnibus, & ſingulis per quoſcunq; Ordinarios, ac alios iudices, et Commiſſarios, quauis authoritate fungentes, etiam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, & cauſarum Palatij apoſtolici Auditores in qualibet cauſa, & inſtantia, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, iudicari, & definiri debere: necnon quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis authoritate ſcienter, uel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus. Ac quæ ex eisdem reformationibus (ut præfertur) reprobatæ, & reiectæ fuerint, authoritate, & tenore prædictis reprobamus, & reijcimus. Non obſtantibus præmiſſis, & quibuſuis apoſtolicis, necnon in prouincialibus, & synodalibus Concilijs editis ſpecialibus, & generalibus conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon Ordinis, & Congregationis prædictorum, etiam iuramento, confirmatione apoſtolica, uel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoq;, indultis, & literis apoſtolicis ſub quibuſcunq; tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsq́; efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibusq́;, et alijs decretis quomodolibet, etiam Motu proprio et ex certa ſcientia, ac de apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut aliâs quomodolibet conceſſis, ac etiam iteratis uicibus approbatis, et innouatis, quibus omnibus etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione de

illis, eorumq; totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, et indiui=dua, ac de uerbo ad uerbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi ac ſi de uer=bo ad uerbum, nihil penitus omiſſo, et forma in illis tradita obſeruata, inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliâs in ſuo robore permanſuris, hac uice duntaxat ſpecialiter, et expreſſe derogamus, cæteriſq; contrarijs quibuſcunq;. Volumus autem, et dicta authoritate decernimus, quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis alicuius notarij publici manu ſubſcriptis, et alicuius perſo=næ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ ſigillo munitis, ea prorſus fides in iudicio, et extra adhibeatur, quæ originalibus adhiberetur, ſi fo=rent exhibitæ, uel oſtenſæ. Dat. Romæ apud ſanctum Marcum ſub Anulo Piſcatoris Die decimaoctaua Iulij Milleſimi quingenteſi=mi quadrageſimi octaui, Pontificatus noſtri Anno quartodecimo.

Blo. el. Fulgin. Et ne de præmiſſi tenoris inſertione à quo quam exbitari contingat, præſens authenticum tranſumptum exinde confectum coram nobis per infraſcriptum Cameræ apoſtolicæ notari um collationari, et auſcultari mandauimus: quod cum per omnia concor dari repertum fuerit, ad eius ubiq; fidem faciendam iuxta prædicti Pro curatoris requiſitionem nobis factam de mandato ſanctiſſimi domini no ſtri Papæ ſuper hoc uiuæ uocis oraculo nobis facto, et authoritate no ſtri Camerariatus officij harum tenore authoritatem, et decretum in terpoſuimus: decernentes de mandato, et authoritate prædictis præſen tibus eam prorſus in iudicio, et extra fidem adhiberi perinde, ac ſi præ fatæ originales literæ exhibitæ forent, uel oſtenſæ. In quorum omni=um, et ſingulorum fidem, et teſtimonium præmiſſorum præſentes fieri, et per notarium Cameræ apoſtolicæ infraſcriptum ſubſcribi manda uimus, ſigilliq; noſtri Camerariatus officij iuſſimus, et fecimus ap=

penſione communiri. Datum Romæ in Camera apoſtolica ſub anno à Natiuitate Domini Milleſimo quingenteſimo quadrageſimo nono inditione ſeptima, die uero xx menſis Februarij Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris, et domini noſtri domini Pauli diuina prouidentia papæ tertij, Anno quintodecimo.

fortalitia. pag. 18.

omnia. pag. 19.

Duplicat

N. Casularius

558,845

BLIOTECA NA
1